




Dissertationes







57.

a 1533

74
107

99 61

J

29701

Two Books

1. Ten Rhyme

2. Merely

ΒΙΟΧΡΗΣΤΟΛΟΓΙΆ

SEU

COMMENTARII

De Aere Vitali
De Esculentis
De Potulentis.

Cum Corollario de parergis in Victu.

Authore *HEN. MUNDY* Med:

OXONIÆ,
Impensis *JO: CROSLEY* Bibliopol: 1680.

PRÆFATIO
LECTORI.

JUcundius & gratius Humano generi vix aliud concessit Alma natura; quam per amænissimos Physices campos spatiando miranda opificis Cœlestis artificia, (præsertim quotquot vitæ conservationi dicantur) seriò contemplari. Hoc quamprimum per ætatem & quoties per negotia licuit, ferè semper feci. Commentarios insuper de singulis quæ ad victum pertinent, conscripsi eo consilio, quo diligentiores itinera peregrè facientium suas ephemeridas Hodæporicas conficiunt: ut siquid ex observatis, animo excideret posset ex scripto recolligi. Hos primum meo solius usui destinâram; at postea mutatâ sententiâ produxi, & publici juris esse volui.

Non me latet satis superque de hisce rebus fuisse scriptum: sed à quibusdam adeò prolixè, ut unius ætatis otium ad legendum vix sufficiat. Ab aliis adeò jejunè; ut lector aliquid emolumenti inde ægrè capiat.

Nullus veterum utcunque luculentus potuit omnibus numeris absolutus esse: nam non pauca in victu nostri seculi emerserunt superioribus prorsus incognita: partim ob novas terrarum plagas, non ita pridem detectas: partim ob aliusmodi inventiones, quas tem-

pus

pus nuper peperit, antiquis intercidentibus. Græci & Latini scriptores pauca admodum extra maris mediterranei, & vicinarum regionum limites nôrunt. Imo Oceanus, fluvii, & terræ Septentrionales multa alunt animalia istis nè famâ quidem audita. Et hæ sunt causæ præcipuæ quamobrem has commentationes prodire in lucem permisi. Et spero esse haud quaquam inauspicato emissas, sed plerisque gratas fore, nec inutiles. Sunt quidem breves, at non obscuræ; tenues, at varia continent, & plurima nova ab aliis vix tacta.

Rationum, quas in ætiologiis passim adhibui, forsan quædam videantur insolentes: sunt fere Mechanicæ. Itaque spero fore plerisque verisimiles, & mentibus veritatis cupidis non difficulter satisfacturas. Nullus dubito, quin magni naturæ proceres adepti & exercitati hæc tanquam nota & vulgaria præterituri sint; non illis erant scripta, quibus notiora sunt quam nobis. Satis erit, si annuant & nutu probent. Aliis candidis & cordatis, si placuerint & profuerint, videbor mihi operæ-pretium assecutus.

Elenchus Capitum.

ſtres exhalationes, aut nubilus ob aquæ particulas, quæ facile tolluntur. p. 39. *Aer humidus non ſemper inſalubris. Corpora niſi tenuia in ſanguinem non admittuntur. Quare Inſulæ Stæ. Helenæ, & Bermudes adeo ſalubres: in regionibus Humidis incolæ ferè pulchri. Aer humidis procreandis infelix.* p. 40. *Hippocratis de aere hum: ſententia. Impuritates in nebulis hoſpitantur. In Guineâ imbres nocent. In Ægypto ulcera cient; morbos & vermes procreant.* p. 41. *In Dariene gyrinos & ranunculos. In Norwegia beſtiolas dictas Lemaren. De quarum ortu ambigitur. Inſectorum ſpontaneus ortus.* p. 42. *Aquarum derivatio ſanitati confert.*

CAP. X. De aeris infectione. *Nulla eſt perfecta quies. Effluvia rerum pro partium figuris diverſimode afficiunt.* p. 43. *Quædam ſanguinem fundunt, alia coagulant, ſpiritus etiam afficiunt, perturbant, alia figunt. Particulares corporis partes afficiunt. Quomodo ea, quæ aerem inquinant, à concretis ſeparantur. Principia Chymica: omnia naturæ energiâ diſſolvuntur.* p. 44. *Maturitatem ſequitur corruptio. Partes quædam integrales in aerem tolluntur. Camphura in aerem ſponte ſolvitur. Unde pluvia ſanguis credita.* p. 45. *Morganæ Rheginorum deſcriptio. Ejus ætiologia à Kirchero facta. Sol pilos, aliaſque feſtucas tollit. De locis peſtilentibus, & morbis ab aere inquinato ortis in genere. Paludes, & Æſtuaria inſalubria. Alexandretta.* p. 46. *Alexandria, Cairus, Bantam, Pedir, Mozambiqua; ubicunque piper naſcitur, aer eſt inſalubris. De morbis ab aere corrupto ſpeciatim.* p. 47. *Dracunculi: Ratio extrahendi dracunculos.* p. 48. *Dracunculi materia. Trichia.* p. 49. *De febribus ab aere ortis. Feb. intermittens.* p: 50. *Typorum differentiæ, ætiologia. Feb. caſtrenſis.* p. 51. *Scorbutus morbus multiformis. Cauſæ. Plica polonica Sarmatis & Germanis endemia.* p: 52. *Ejus deſcriptio. Ætiologia.* p. 53. *Elephantiaſis Ægyptiis infeſta, & aliis. Ejuſdem deſcriptio. Ætiologia.* p. 54. *Mentagra. Gemurſa & Carbunculus: Sudor Anglicus. Rhachitis. Lues venerea. Emerſit Neapoli. An:* 1494. p: 55. *Americâ oriunda erat.* p. 56.

mine-

ca-

CAP.

CAP:

Spiritus







COMMENTARII
DE
AERE VITALI.

NTER cauſas conſervatrices Aer ambiens principatum tenere videtur, ſine cujus adminiculo & jugi influxu, motus omnis in Viventium corporibus, à quo pendet eorum anima mortalis, protinus ceſſat: Cibo potuque aliquantiſper ſine magno incommodo carere poſſumus: ſed auram Vitalem ubique circumfuſam, & preſſè incumbentem admittendi perpetua, & ineluctabilis urget neceſſitas. Proderit igitur de ejus partibus, & affectionibus diſquirere, non inani ſpeculatione, ſed eâ; quæ ad vitæ uſus accommodetur.

Socrates ſui temporis *meteoroſcopos* non immeritò

irrisit, & ipse ob idem à *Comico* traductus, quod rerum nimis sublimium,& incertarum contemplatione occupati, utilia, & cognitu quam maximè necessaria neglexissent.

Nos verò, ne in ejusmodi reprehensionem incurramus, in Aerologia nostra nihil præter ea, quæ ad vitalitatem spectant, attingemus, ea vero absolutà commentarios in singula, quæ in cibos potumve veniunt, subnectemus, adjecto corollario de rebus quibusdam, quæ quidem, nec cibus aut potus sunt, sine eis tamen à nonnullis ægrè vivitur.

CAP. I.

De Aere.

Aer. 1. MAteria fluida, quæ immenso spacio diffusa terram, & cæteros planetas complectitur, vulgò *Aër* appellatur. Cujus partem *Æther.* superiorem à terrâ remotam, quæ purissima est, & à miasmate quovis terrestri immunis, Cœle- *Atmosphæra.* stem & *æthercam* nominamus. Altera, quæ terræ proximè incumbit; vaporibus & exhalationibus oppletur; ideoque commodè *Atmosphæra* dicitur. In hac animantia terrestria cujuscunque generis versantur: nec ultra ejus limites possunt consistere, quippe non secùs ab istis in *Atmosphæra*, atque ab aquatili genere in aquis vivitur: Ætheris indigenæ an sint, & cujusmodi, curiosi nonnulli quærunt: alii eorum ordines, graphicè describunt, & nè ulla pars mundi suis animalibus vacet,multimodas fingunt chimæras *Origenes* scribit *lib*. 3. περὶ ἀρχῶν invisibilem creaturam, & incorpoream, quæ negligentius

gentiùs se gesserat; corpusculum æthereum assumere, aut aereum; illudque eò crassius, quo propius ad terræ viciniam detrusa sit. Sed quatenus ab his, si existant, aeris vitalis conditiones pendere credendum sit, suo loco considerabitur.

2. Duæ sunt Atmosphæræ regiones, in quarum superiori vaporum, & exhalationum apothecas Divina sapientia condidit, unde, quoties libet, nubium, fulminum & ventorum materiam depromit: in inferiori focum seminibus rerum fovendis idoneum, & eorum in vitam productorum conservationi aptum constituit. Nam subtilis materia à sole, primario motus instrumento, perpetim emanans, & per æthereos globulos transmissa eosdem in transitu movendo lumen in hemisphærio irradiato accendit. Ulterius etiam delata, nitrosas particulas, quibus in atmosphæra, aut terrâ occurrit; cum sulphureis, quas è terræ sinu eruit, committens, calorem, aut si major Sulphuris copia suppetat, & vehementiùs sit mota, ignem etiam valet suscitare. Et quia calor nimis intensus, *Phaethontis* instar, rerũ potitus, omnibus ferè rebus interitum minetur, natura in remedium istius mali instituit, ut Lucida illa materia in terram & aquas penitiùs descendens corpuscula quædam aquea in auram jugiter tollat: quæ effræni caloris vehementiæ sint sufflamini. Imo & frigoris vim temperant. Vapor enim aqueus aculeata nitri frigorifici corpuscula obtundens, impedit ne altiùs in subjecta penetrent, & animalium cutes punctim subeundo, sensationes nimiùm molestas inducant. Has autem res aerem vitalem constituere; eique necessario & semper inesse liquidò constat.

Atmosphæræ Regiones Superior & Inferior.

Atmosphæræ partium singularũ usus.

 3. Mate-

Materiæ solaris energia.

3. Materiæ solaris præsentia, & energia à nemine non sentitur; Itaque tametsi à solis in alterum hemisphærium descensu tantus torpor & quasi mortis imago omnia invadit, ut nisi stata ejus reditûs tempora scivisses; de omnium rerum vitâ actum esse putares. Eodem tamen nos revisente, & benignis radiis. i. e. directioribus aspiciente, licet in apogæo tunc existat, & in hyeme, dum in perigæo est 300000. Milliaribus terræ sit propior, omnia protinus reviviscere, & ab orco revocari videntur.

Quo pacto in vere singula afficit & ad speciei renovationem incitat.

Ætherea enim mundi anima copiâ solito uberiori in humores tunc admissa sanguinem strenuè agitans, & volatilizans fermentum genitale excitat: unde cuncta ferè animalia terrestria & aquatilia eo tempore libidine turgentia speciei renovationem meditantur. Vegetabilia etiam virent, & semina sua parturiunt; quæ perfecta, & idonea matrice collocata, in motum vitalem sui similis productivum pro Ideâ speciei impressâ vi ista solari extimulantur, & in eodem statu, donec organum vitale fatiscat, ab eâdem conservantur. In animalibus perfectioribus modus influxûs auræ vitalis hujusmodi est. Per tracheam in bronchia recepta vesiculas, quibus innumeris pulmones constant, validè distendit, unde æthereæ particulæ cum nitrosis, (utræque sunt maximè penetrabiles) in vasa sanguifera illapsæ per venam pneumonicam in sinistrum cordis ventriculum deferuntur, ubi cum humoribus sanguine, & chylo mixtæ eorum motui, tam intestino quam circulari, inserviunt: certè sanguis cordis impulsui minimè pareret; nec instinctus ejus vibrationi perpetuò suppeditaretur, nisi calor, & humorum motus sua vi

Quomodo in animantibus perfectis operatur.

perennia-

perennarent. A corde autem istæ particulæ arteriarum ductus secutæ ad corporis peripheriam deferuntur, ubi per cuticulæ poros exterminant fulgines, ibi etiam nova materia in aperta venarum oscula sese insinuat, & corporis systaltico & tonico motu adjuta circulationis Filum ad hepar, cor, & inde per arteriam pneummonicam ad pulmones, continuat, & perficit.

Ejus beneficio aquatilia vivunt.

Eadem substantia ætherea piscibus, aliisque aquatilibus eodem mumere sub aquis fungitur, nam & hi ab eâ suum habent calorem; licèt ratiocinio potiùs, quam humano tactui perceptibilem. Animalibus enim sanguine magis sulphureo præditis debilis piscium calor non sentitur, sed cum anima brutalis à materiæ vitalis motu pendeat, motus autem omnis sit calorificus, liquet & piscibus suum inesse calorem.

Ejusdem vi vegetabilia nutriuntur.

Idem etiam plantis vitæ, & vegetationis instrumentum à naturâ tribuitur, Æther enim materiam nutritiam ex aquâ & nitro constantem per radices earum in fibras agens eas ad frugem producit.

Aeri vitali Nitrum in est, terræ etiam & aquæ.

4. Terram suo nitro exutam esse *damnatam* & planè infæcundam docet experientia: Aquas quoque sine eodem lætamine sterilescere manifestum est: herba enim in alveis fluviorum nascentes, nisi aquâ Cœlesti rigatæ vix augentur, post imbres autem, aut diutinas pluvias, aquis nitro aereo multùm impregnatis statim luxuriant. Terrâ verò, & aquâ suo nitro abundantibus non existimandum aerem, qui nobilissima alit animalia, eo omninò vacare. Continet certè magnam nitri volatilis, & subtilis copiam, ubique Atmosphæræ interspersam, quod licèt præ tenuitate sit inconspicuum.

Multis tamen modis sui existentiam prodit. Nam terra, unde nitrum fuit elixiviatum, aeri aliquandiu exposita, nitro denuo impregnatur.

2. *Colcothar* Vitrioli ab Olei distillatione relictum, spiritus nitro-aerei accessione tandem novam acquirit aciditatem, & fit verum vitriolum: ubi Nitrum illud volatile cognato domicilio invento, poros ejus subit, & in idem corpus coalescit.

3. *Aloe, Telephium, Aizoon*, & plerique *bulbi* aere suspensi germinant, diuque crescunt; manifesto indicio & nitrum, & aquam aeri copiosè inesse.

Aqua aeri dissemina-tur. Aqua aeri necessariò disseminata faciliùs creditur; quòd *hydragogia* Cœlestis manifesta sit; nebulas enim, rorem, & nubes, radiis solaribus sublimes agi videmus; Et nonnunquam tantum aquæ uno impetu à *Vortice aereo* (*a spout.*) sublime rapitur, quantum totam Cœli faciem, quacunque patet, ad *horizontem* opplere videatur.

Porrò præter aqueas particulas in Atmosphæra coacervatas, hospitatur humor insensilis; qui etsi non sit conspicuus, tamen nunquam deficit; quippe sine eo aer suis animantibus non magis Vitalis esset, quàm aqua sit piscibus, si aerem penitus excludas. Quod facili experimento probatur Tempestate enim æstivâ, serenâ & siccissimâ si liquorem frigidum in vas vitreum, aut è metallo polito factum infundas, licèt nullum humidi vestigium foris appareat, latera tamen vasis externa, quousque liquor gelidus intus pertendit, roscida, guttulisque aqueis ubique perfusa videbis, partes enim aquæ insensiles circumquaque fluitantes lateribus vasis frigidulis allisæ in rorem condensantur. Nec pu-

tes

tes per vasis latera illum madorem exudare: aqua enim fontana, & nivalis id efficit in vase, quod *Spiritus vini ferè alcolizatos*, & summè subtiles sine istiusmodi effectu contineat.

Sulphur aeri vitali inest.

Sulphuris autem abunde in Atmosphæræ sinu contineri probant fulgura, fulmina aliique exhalationum effectus.

Ab his pendent aeris affectiones.

A variâ harum partium diathesi oriuntur præcipuæ aeris affectiones, nimirum Calor, frigus, tenuitas, crassities, gravitas & elater, à quorum temperie dependet utraque hominum valetudo.

Aer etiam à rerum, aut locorum effluviis sæpe inficitur, unde aut noxius, aut salubrior animalibus redditur. De his affectionibus, cum beneficiis aut incommodis inde exortis pauca ὡς ἐν τύπῳ notabo.

CAP. II.

De Calore Aereo, unde sit.

Calor à luctâ Sulphuris cum Nitro oritur.

1. OMnimodus calor motûs est effectus & ambientis aeris calorem luctâ sulphuris cum nitro aereo commissi oriri diximus, quas quidem lites Sol radiis suis movet: & pro incidentiæ ratione magis, minùsve intendit. Calent igitur ferè regiones directis radiis subjectæ, tepentque aliæ quotquot à solis orbitâ plus nimio distant; sed multa accidunt, quæ magnam aeris anomaliam faciunt; ut infra dicetur.

Caloris beneficia.

2. Ejusmodi est in multis locis plagarum australium benigna temperies: ut *Ibn Sina* vulgò *Avicenna* &

alii *Paradisum* terrestrem sub *Æquinoctiali* posue-rint, è contra nonnulli veterum nimis rudes regiones omnes, quibus Sol in *Zenith* imminet, torridas, & præ æstu immenso inhabitabiles autumârunt. Hi certè suas speculationes secuti, aliorum experientiam nunquam consuluerunt. Constat enim terras omnes, tropicis interjacentes, ad quas nunc navigatum est, præter Americam, nautis istius temporis innotuisse. *India* enim, *Taprobane* & *Arabia* etiam *fœlix* dicta mercatoribus tum patuit. Et *Herodotus in Melpomene* narrat, quod *Phœnices* jussu *Nechonis Ægypti regis totius Africæ* litora perlustrassent. Itaque *Sinu Arabico* egressi ingens *Æthiopiæ Meridionalis promontorum Lusitanis bonæ spei dictum* præter vecti, per mare *Atlanticum*, *fretum Herculeum*, & *mare Mediterraneum* tertio anno in *Ægyptum* sunt reversi.

Pœni etiam iisdem oriundi imperio mari diu potiti australium plagarum litora longinquis regionibus explorabant.

Hæc illi: sed nostra ætas, cui nihil, quod lucrum præbeat, invium est; omne mundi latus excussit: unde comperit, terras inter tropicos & si solis orbitæ sint subditæ, non modò habitabiles, sed etiam salutares esse, & omnium rerum ad victum, cultumque, imo ad voluptatem pertinentium abundantes: adeò ut, qui à septentrione profecti istas regiones adierunt, *Lotum gustâsse* videantur: nec facilè ab *Austri Sirenibus* avelli queant. Inde est, quòd tot *Europæorum coloniæ* in calidis regionibus inveniantur. *Lusitani in Africæ*, *Brasiliæ*, & *Indiæ* oris maritimis sedes passim posuerunt: quarum nonnullas *Batavi* occupârunt. *In America* inter tropicos pleraque possident *Hispani*. *Angli*, *Batavi* &

& Galli in insulis Caribeis sedes habent amænas, & perquam fructuosas, quibus *Campania*, vel *Sicilia* invideat. Vere enim & virore perpetuo fruuntur. Solesque alioquin ardentes ventis *apogæis, & tropæis* mitigantur: terra etiam imbre assiduo, aut rore copioso ita rigatur, ut arbores fructus toto anno producant, veteribus pomis decerptis, aut deciduis novo statim succedente & in tanta terræ fæcundia magna est incolarum sanitas: & nisi Filum vitæ externâ vi abrumpatur, ferè longævitas.

Itaque Herodotus Macrobiorum Æthiopum meminit, & admiratione dignum est quod de Indorum quorundam longævitate accepimus. Inventi fuerunt *Americani* calidæ *Zonæ* incolæ, qui vegetâ senectute *Nestoris* Ætatem superârunt.

Incolæ regionum calidarum longævi.

Aristoteles in libello, qui inscribitur. Περὶ τῆς μακροβιότητος. asserit. Ὅτι τὰ αὐτὰ ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς μακροβιώτερα ἢ ἐν τοῖς ψυχροῖς. Quòd eadem animalia in calidis, quàm frigidis locis diutiùs vivunt.

Insula Stæ Helenæ dicata in *mari Atlantico* inter *tropicos* sita est, ejus tamen est indolis; ut ægri moribundi, & tantùm non conclamati in terram è navibus ex Indiâ redeuntibus expositi certissimè, & citò convalescant, & aliæ sunt insulæ eidem *Zonæ* subditæ, in quibus incolæ morbum, nisi annosam senectutem vix nóruut.

Jac: Bontius medicus Batavus, qui in Indiâ medicinam diu fecit; negat, eam, aut insulas adjacentes unquam peste tentari.

Calidus aer senibus prodest.

Morbis à frigidâ temperie ortis, proculdubio calidus aer plurimùm prodest; & senectuti morbosæ nonnunquam asylo est.

Cœli calidi incommoda.

Vereor autem nè his caloris beneficiis gravia quædam incommoda calidarum regionum multùm præ-

præponderent; nam tametsi ista aeris affectio interdum liberaliter regnat, tamen aliquoties tyrannidem exercet; ubicunque enim humor ita deficit, ut vaporibus in aerem tollendis non sufficiat; reliqua *Atmosphera* corpuscula Nitrosa & Sulphurea à radiis solaribus è Zenith missis agitata motus adeò rapidos concipiunt, ut sensui sint molesta, vitæque sustentandæ minùs idonea. Ob hanc causam tot ubique sub ista Zona inutiles sunt solitudines, quarum accolæ, (incolas enim non habent præter feras immanes, & serpentes) caloribus miserè cruciantur.

In calidis plagis solitudines frequentes.

Sunt quidem, qui istiusmodi locis assuescunt, sed non aliam ob causam, quàm quòd prædæ, cui semper inhiant, materiam, & opportunitatem præbeant: sic *Arabes* mercatoribus, qui catervatim deserta transeunt, perpetuò insidiantur, rapto tantum victitantes, ideoque solitudines perpetim oberrant, à fixis sedibus abhorrentes.

Urbes in nonnullis regionibus præ calore intolerabiles.

Urbes istius tractûs intolerabiles essent, nisi multo artificio calores mitigarentur? Qui sub dio ambulant, umbracula soli opponunt. Dormientibus dominis servuli astantes flabellis ventum faciunt, & muscas importunas muscariis pavoninis abigunt. Multi speluncis interdiu se abdunt, noctu sub dio dormiunt. Alii in ventiducttibus auram captant. *Ormusiæ*, (ea est urbs insignis in *Sinu Persico*, *Lusitanorum* non ita pridem celebre *emporium*, nunc *Persis* paret) Cives, & advenæ in *Hypogæis* in frigidam mento tenus demersi interdiu dormiunt, aut certè otiantur, noctu verò surgentes mercaturam exercent, & aliis negotiis vacant.

Nonnulli aeris inspirati fervorem non ferentes in umbrâ desident, & frigidam ad nauseam vix

ad

ad ſatietatem hauriunt, nivalem quoque avidè petunt, ubi per montium viciniam eſt parabilis, & ne ſic quidem ſitim inexplebilem reſtingunt, ſed aqualiculum ferè aquæ potu eò diſtendunt, ut à *Luſitanis Goa Barrigos*. i. e. dolia appellentur, hujuſmodi victu chachexiæ aut hydropes crebrò accerſuntur, & ab ardoribus fere oritur Lerna malorum.

In calidioribus igitur plagis *Elephantiaſis*, aut *Scabies* cutim deturpant: *Cholera*, *Dyſenteriæ*, & *Ilei* inteſtina torquent: *Cauſi*, & omnimodæ febres ſanguinem inflammant. Omnes denique morbi à bile orti hic dominantur. *Morbi calidarum plagarũ.*

Morbi etiam peſtilentiales, qui in regionibus magis temperatis vix niſi contagione propagantur, in calidioribus plagis ſpontaneo ortu ſæpe emergunt, Lueſque Tartarea, quæ omnes terras invaſit, meridionalibus tantùm originem debet. *Morbi regionum calidarum peſtilentiales, & maligni.*

Nec morbos modo, ſed & mortem quoque præſentaneam ſæpe attulerunt Cœli ardores: Propè dictam *Ormuziam* totus exercitus auræ candentis, ab arenoſis deſertis delatæ, afflatuq; ſuffocatus periit. Mercatores etiam ſæpenumerò cum camelis iter per arenas tendentes in ipſo itinere concidunt, vehementi ſolis æſtu extincti. *Exercitus æſtu aeris extinguitur.*

Hæc ſunt *Zonæ torridæ* incommoda, quæ tamen rarò niſi locis ſqualidis, & omni ferè humore deſtitutis accidunt: In tractibus irriguis, & fæcundo ſolo præditis ſub æquatore ſatis commodè, imò, ut ſupra innui, nuſquam ſalubriùs aut delicatiùs habitatur. Illic etiam invenitur uberrima pharmacorum ſylva, quibus pharmacopolia totius orbis inſtruuntur. At contra regionis torridæ morbos nullum eſt remedium æquè efficax, ac temperantia in potu, cibo, & reliquis rebus non naturalibus ritè obſervata. *In calidis regionibus modò irriguis commodè vivitur.*

CAP. III.

De frigore.

Frigus esse quid materiale.

1. FRigus, Ambientis affectio priori contraria, effectibus est sæpe notius, quam volumus. At causa ejus materialis instar Nili fontium obscura latet; Imò de istiusmodi materiæ existentiâ ambigitur, & motûs calorifici privationem tantum esse quibusdam persuasum est: in quam sententiam ipse *rectà* irem. Si animantium membris à frigore intenso afflictis ἀναισθησία tantum induceretur. At præter dolorem admodum acutum, *Plyctenæ* etiam graves ad *Sphacelum*, aut *Carcinomata* vergentes excitari à frigore vehementiore, tanquam à cauterio actuali, aut medicamento caustico vidimus. Adeò ut frigus perinde, atque ignis sine vocis *Catachresi* urere dicatur, quod quemadmodum à merâ motûs cessatione, sine materiæ frigorificæ accessu, fieri possit, non est intelligibile.

Non est privatio tantum.

De primo frigido.

2. Frigoris primatus tribus è quatuor Peripati Elementis antiquitus attributus fuit.

Plutarchus, & alii magni nominis Philosophi terram, *Aristoteles*, ejusque asseclæ aquam, Stoici verò ipsum aerem primum frigidum statuerunt: *Neotericorum* autem alià est sententia: cui favit *Gassendus*. Hi statuunt corpuscula nitro aerea frigoris in omnibus subjectis & congelationis causas esse. De his placitis *nobilis Boylius* ἐπέχει, & ventos gelidos, aerisque vim frigorificam ab exha-

lationibus

lationibus salium diversæ indolis tàm nitri, quàm aliorum, aut forsan *materiæ alicujus anonymæ*, qualis aliquando reperitur etiam *Chymicis* ignota, aut eorum congressu posse oriri suspicatur. *Terra non est primum frigidum.*

Primæ ex his sententiis refragatur experientia: liquet enim terram nisi cortice tenus, ab ambiente frigore non affici. Nôrunt enim *Metallarii*, quotquot in ejus viscera descendunt, interiores terræ regiones in locis, aut tempore frigidis, plus satis calescere; & quanto profundiùs itur, tanto majorem, tanquam ab igne *Cartesiano* excitatum, calorem sentiunt.

3. Aquam quidem suâpte naturâ frigidam esse concedi potest, partes enim ejus in statu naturali sunt minùs agitatæ, quàm humores, qui tactûs sensoria in nobis perluunt. *Nec aqua.*

Sed ejus particulæ flexiles, & admodùm lentæ penetrationi frigorificæ minùs idoneæ sunt; unde in crasso, & nebuloso aere frigus minùs urit. In *Muscoviâ* & aliis septentrionalibus provinciis, ut è carnibus, quas rigore brumali indurat as diu asservant, gelu ante coquendum eliciant; eas in frigidam immergunt.

Idem etiam, ut accepi, in vivis corporibus factitatum est; quæ frigore intolerabili correpta, & morti proxima, ab imminenti *membrorum necrôsi*, eâ ratione in sanitatem restituuntur.

4. Aer autem, cui in hac re plurimi primas deferunt, istius qualitatis maximè δεκτικὸς videtur; quippe quæ terrâ, vel aquâ condita illæsa conservantur, si eadem aeri sub dio exponas, ferè graviter à frigore corrumpuntur; aerem igitur non primum, at summe frigidum jure appelles. Hic tandem meam de his rebus conjecturam, forsan *Neque Aer.*

paucis

paucis verisimilem subjiciam.

A particulis nitrosis calor. Inter partes, à quibus Atmosphæra constituitur, Nitrum volatile locum habere statuimus, cujus corpuscula, quàm maxime subtilia, radiorum solarium impulsu terræ illiduntur: unde repercussa cum sulphureis particulis eâdem actione incitatis congressa motum in aere calorificum efficiunt, imo igneum, si radiis speculo caustico aut alio instrumento collectis idonea subsit materia.

Ab eisdem frigus. Ab eisdem etiam nitri corpusculis, at alio modo dispositis, qualitatem è regione contrariam induci opinamur. Verisimile enim videtur ista corpuscula, priusquam repercussa in gyrum agantur, & sulphureis *Aporrhæis* sint congressa, motu recto delata acuminatim, instar spiculorum, poros corporum subire, inde est quòd in montibus editis etiam æstate, aut sub Zona calidâ, ea est frigoris inclementia, ut nives ibi perpetuo accumulentur. Et idem usu venit, ubicunque illa corpuscula radiis solis obliquiùs incidentibus remissè agitantur, nam cessant perinde, ac pueriles turbines scuticæ verberibus nimis languidè in gyrum acti, à motu circulari cessant: & exinde quævis subjecta cuspide infestâ petunt. Nec aliam ob causam gravissima illa aeris sævitia, & non habitabile frigus in plagis *Arcticis* & *Antarcticis* à solis viâ dissitis perpetuò regnat.

Quomodo fit Glacies. Glaciei vero concretionem quod attinet, à motus particularum aquæ flexilium cessatione potissimùm, at non omninò fieri arbitror, quas particulas adhuc fluidas cumulo anguillarum in scaphâ piscatoriâ natantium, *Cartesius* assimilat; easdem vero concretas eorundem piscium siccorum, & in ripa jacentium strui comparat.

Tandem

Tandem molestiam, quâ frigus sensus nostros afficit, à figuris materiæ frigorificæ pendere volumus. Et exinde causa probabilis petatur, cur in quibusdam regionibus frigus sit magis tolerabile, quàm in aliis, ubi polus altiùs elevatur, licèt æquè aut fortiùs sit intensum; sic in *Norvigiâ*, & *Lappiâ* propè *Oceanum septentrionalem* aeris sevitiam faciliùs, quàm in *Podoliâ*, aliisve Provinciæ dictæ *Vckrainæ* partibus perfertur. Et *Martinius in Atlante suo Chinensi* Hyemum ejus tractûs glacialium meminuit; quæ tamen minùs, quam frigora ejusmodi in *Europâ*, sensoria afficiunt. Verba Authoris subjungam. *Cur frigus æquè intensum non sit ubiq; æquè tolerabile. Histor.*

Ad Cæli solique quod attinet temperiem (inquit majus in hâc provinciâ frigus est, quàm illius poscat poli altitudo. Vix illa excedit gradum secundum supra quadragesimum, & tamen per integros quatuor menses sæpe flumina adeò duro concrescunt gelu; ut currus, equos, & gravissima etiam quæque onera glacies ferat; innoxiè ac securissimè transeant. His mensibus omnes naves ita in glacie defixæ sunt; ut progredi nequeant; ubicunque illas frigus occupat, per quatuor illos menses immotæ ibi perstare coguntur. Cui postea subnectit. Omnino illud mirum, non tantum videri, aut sentiri illud frigus, ut *Europæos* ad Hypocausta subeunda videatur posse cogere, aut in *Europa* ad glaciem producendam sufficere; unde ad subterraneas exhalationes illic pro causis harum rerum indagandis recurrendum. Hactenus *Martinius*. E cujus narratione constat frigoris intensi effectus in *Europâ* conjunctissimos dolorem & congelationem posse aliquatenus disjungi. Credo authorem de advenarum tolerantiâ meminisse, nequis huius-

hujusmodi εὐφορίαν ab indigenarum *idiosyncrasia* oriri existimet, Certè indolentiæ illius causa non aliunde, quàm à loci ingenio, & exhalationibus illinc orientibus peti potest; supponamus igitur materiam frigorificam alibì particulis valdè acuminatis constare, hìc autem obtusioribus, & minus ideo penetrantibus: aut quòd à materiâ aliquâ unâ in Atmosphæram sublata obtusæ sint & aculeis privatæ, non secùs ac in Mercurii dulc. præparatione usu venit.

Ætiologia.

Mercurius cum salibus certis sublimatus quàm corrosivus, & aculeatus sit, plerisque notum est, eadem tamen materia, utut vehemens, & corrosiva, cum novâ crudi quantitate denuò, atque iterum sublimata aculeis suis obtusis, aut depositis pro deleterio exitiali innocuum & utile evadit remedium, & tale quid in frigore potest accidere.

Aeris anomalia.

6. Exhalationibus etiam acceptum feras præter locorum situm; quod gentes eisdem parallelis inclusæ, talem aeris annomaliam, qualem videmus, patiantur, liaæ æstum majorem, aliæ frigora magis intensa, quàm solis vicinia, aut distantia poscere videatur. *Josephus Acosta* narrat se in *Indias occidentales* navigantem, sub sole in Zenith imminente cum sociis apricari præ frigore coactum, & tum demum poetas & aliorum deliramenta risisse, qui eas plagas præ æstu intolerabiles statuerunt.

Idem Author *Peru*, inter Æquatorem & tropicum Capricorni sitam, ob amænitatem, & optimam Cœli temperiem mirè laudat. *Potosiam* autem regionem ejusdem metalliferam frigidam esse asserit; cum interea *Brasilia* in altero *Peruvanæ* litore, *Africæ australi* opposita, perpetuis ardoribus torretur.

retur. *Auſtrale Africæ promontorium* incolas habet nigerrimos, at ſuâ hyeme graviter alget, etſi *polum antarcticum* non ſupra gradum 34^{m}. elevatum ſpectat. *Mauritania* verò, & *Numidia* à ſole non minore intervallo diſtantes, niſi in montium jugis ſemper æſtuant, aut certè, vel hyeme ſuâ tepent; at incolis ferè candidis gaudent.

Notum eſt quàm flebiliter *Naſo* littoris *Euxini* frigora deſcripſit: *Auſonius* autem *Aquitaniæ* ſuæ eidem ſideri ſubjectæ breves, facileſque hyemes laudat. *Jameſius* vir nautica peritiâ inſignis anno æræ noſtræ 1617. compendium in *Indiam* quæſiturus in inſulâ, quam *Charltoniam* appellavit, hyemare coactus eſt. In quâ, licèt eodem intervallo, ac *Hibernia* à ſidere polari diſtat (quæ quamvis ab *Hyberno* Cælo nomen ſortita videatur; hyemes habet mitiſſimas) tamen ille cum ſociis non minora incommoda à frigore paſſus eſt, quàm *Batavi* in novâ *Zemblâ* 23. gradibus polo viciniori.

Nec hæc mireris: nonnullis enim in locis ſoli magis vicinis horis etiam æſtivis algores inveniuntur intolerabiles. *Franciſc. Dracus Elizabethæ Anglorum Reginæ* claſſi præfectus in univerſi orbis *periplo*, quem feliciter abſolvit; *Occidentales Americæ oras* legendo ad locum, ubi polus Arcticus quadraginta tantùm gradibus tollitur, pridie nonas Junii claſſem appulit: unde ſtatim vi frigoris immenſi vela retrò meridiem verſûs dare coactus eſt. Quod etiam, ſi fides annalibus habeatur, Europæis provinciis aliquando acciderat. *Genebrardus è Saxoniæ Chronicis* hyemis ſæviſſimæ meminit; quæ, ut ait, à Kalendis Novembris ad Maium uſque perſeveravit: deinde diebus paucis tepidis interjectis denuo incipiens ad Julium

Hiſtoria intempeſtivæ hyemis.

Hiſtoria alia.

usque perrexit: quo mense flumina & stagna gelu concreta sunt. Et pasenis, & frugibus frigore perustis, fames & pestilentia gravis secuta est: hujus historiæ fides sit penes authorem. At procul dubio ejusmodi est Cœli, in quibusdam locis, & temporibus conditio; ut ejus *Ætiologia* vix instituatur.

CAP. IV.

De admirandis frigoris effectibus.

Frigoris effectus in Liquida.

1. PLurimi frigoris effectus essent prodigia, & omnem superarent fidem, nisi autopsiæ paterent. *Indis* igitur quibusdam ægrè persuasum fuit aquam frigore concretam posse adeò durescere, ut ab hominibus & jumentis sicco pede tutò transiretur.

Quid si de exercitibus numerosis cum impedimentis, non alio ponte in agros hostiles per ingentes fluvios, & æstuaria transportatis narratum fuisset? Imo in ipsis fluviis, aut mari equestria, aut terrestria prælia commissa sunt. *Strabo* narrat, *Neoptolemum Mithridatis ducem* eodem incursu, hyeme, prælia equestri, æstate verò navali barbaros superâsse: quod circa *Mæotidem* paludem gestum videtur. Et in regnis septentrionalibus idem ubique factitatum est. Nostrâ ætate Rex *Suecorum Hafniam* obsessurus in *Zelandiam* glacie trajecit cum omnibus copiis, & bellicis instrumentis. Ut Poeta canit

Quà naves ierant, pedibus nunc itur, & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.

2. Sed

2. Sed res majori admiratione dignas præbet oceanus utrique polo vicinus. Nautæ, qui in mari septentrionali balenarum capturæ dant operam; aut qui in orientem compendium quærentes, an maria ista pervia sint, exploratum missi sunt, propè infanda vident. Moles enim montium æmulæ è glacie ab æstuariis, aut vastis fluminibus delatæ & acervatim congestæ, quasi insulæ natantes in mari fluitant, & veræ *Symplegades* passim navigantibus interitum minantur.

Jamesius in ephemeride de navigatione septentrionali scribit: se molibus istiusmodi impegisse, quæ fronte minaci mali navis summitatem supereminuerunt. Alii quoque insulas, id genus, glaciales octoginta orguiais supra aquæ superficiem elatas feruntur vidisse. Septimam tamen tantùm glaciei partem super aquam extare dicunt, qui experti sunt.

Hoc gelidi aeris in aquas sævientis incommodum nautæ libentiùs ferrent, modò liquoribus, quibus delectantur, generosis parcerent. Sed cervisia & vinum gelu vehementi cedunt, frigoreque concreta fiunt pene inutilia: nec oleum lubricitate, & lævore suo à Cœli rigore vindicatur. *Cervisia & vinum congelunt.*

Spiritus vini quidem rectificati suâ generositate se tuentur. Nec puri congelant; nam ob partium Sulphurearum, quibus constant, lævorem, & rotunditatem figi nequeunt: eodem ferè ritu, quo arena sine calcis accessu in cæmentum non concrescit. Iidem igitur si vino copiose insunt, à frigore ambientis vehementi obsessi in vasis meditullium recedentes subsistant: ibi enim puri inveniuntur, & inde depromi possunt, cùm vini pars tenuior adeò congelat, ut dolio, cui infuit, perfracto, glacies ejus *Non Spiritus.*

tus ſentitur ((*n*) νοῦσος πολυχρονιώτατος καὶ δυσαπαλλάκτατος καὶ παραμονιμώτατος, οὗτος ἐν ὀστέοισι πολλοῖσί τε καὶ πυκνοῖσι) & flatulentos tumores reliquis facilius diſſipari. Evaneſcunt quidem leviter (quamvis non ſemper) flatus, quamdiu ſub cute reſident, vel muſculorum interſtitiis inſinuantur: Aſt cum ad intimos oſſium carceres membranaceo ſepimento obvallantur, & profundas latebras tenent, ut in articulari aliiſque, ex occultis flatibus productis morbis fit, dexterrimum Medicum etiam ſpe ſuæ curæ fruſtrantur; non quod ſuapte citimæ evaporationi plane tergiverſentur, optatæ diu (Europæis incognitæ) medelæ iniqui: (*o*)Quantò enim in tenuioribus fuerit venulis flatus & in plurima corporis neceſſitate conſtitutis, & in nervis (nervoſiſve partibus, membranis, *&c.*) & oſſibus multis ac denſis (eorumque tegumento, perioſteo) tanto durabilior eſt morbus & qui ægerrimè depelli poſſit. E contra intricata pertæſi clauſtra exitum quærerent flatus, niſi ſua denſitas, præcipue vero tenax ſpiſſumque perioſtei retinaculum idem prohiberent; ubi imbecillius calidum denſos flatus ita rarefacere, ut ab ipſis quaſi medullis emergentes, confertiſſimos & penitiſſimos perioſtei ac cæterarum partium poros penetrent & evaporent, impar eſt. Tandem ſi ex curationis ſucceſſu de cauſæ indole judicandum, flatus erit, qui ignita levis herbæ mollugine facile expellitur: tum ſi ex morbi accidentibus de productricis ingenio

(*n*) Hippocr. lib. de affection. §. 31, 32. Podagra quippe eſt violentior omnibus circa articulos morbis, diuturniſſimus ac ægre cedens, longus quidem & moleſtus, ſed non lethalis. Atque 6. Aphor. 49. Morbos podagricos in quadraginta diebus demum decedere dicit.

(*o*) Ibid. §. 32.

ingenio censere licet; flatus erit, qui (*p*) ex una in aliam partem, è manibus in pedes, imo ex uno in alterum poplitem, nunc sursum, alias deorsum, pernicibus quasi volat alis: Cum ita velocis naturæ humorem nullum in corpore cognoscerem; flatus erit, qui crebro impetu, rabidoque turbine & agmine sævo in articulos ruit: Verbo; maximus ergo articularis doloris author & dominus flatus erit: Quod erat probandum.

(*p*) Exempla plurima quotidiana præbet observatio; plurima etiam exhibent authores; inter alios, Horstius lib. 3. part. 2. observ. 13. &c.

Ludificantia flatuum tripudia & (*q*) verminantes eorundem cruces mihi comprobavit Tubantinus Jureconsultus, exactus propriæ ægritudinis observator; modo liceat intercalaria narratione statuminis firmare fidem: Hic sexagenarius, tenuioris habitus, atrabilarius, hæc mihi de sua retulit valetudine; Adolescens incubo premebatur multotiens, factusque juvenis prælibato quamprimum vino, quod secus parcè satis sumebat, postera communiter nocte per universum corpus sub cute flatus identidem sensit, per gracilia vascula serpentiformi motu prorepentes, dolorificæ pruriginis incitabula, levi frictione manus compescenda: Seni, post vini potum, rediere flatus, multis annis sopiti, atque in occipite nati calvariæ verticem adscenderunt, unde frontis totamque faciei cutem subibant ocyus iterum evanidi: Hoc sibi hæreditarium regerebat malum: Postmodum abdomen atque manus plurimis majusculis pustulis, alta cute emergenti-

(*q*) Phrasis Arnobii, contra gentes, lib. 1.

tur. Aliis membrorum algentium extremitates sphacelo oborto misere decidunt.

Morborũ à frigore genera.

Duplex igitur morbrorum à frigore infesto genus oritur; unum, quo partes corporis organicæ cruciantur: alterum, humorum in vasis motum, aut crasin lædit, eoque pacto spiritus animales in muniis exequendis interturbat, & sæpe improviso obruit. Ex incommodis à gelu ortis levioribus perniones sunt, qui Græcè, nomine ab hyeme deducto, χίμετλα dicuntur. Hi in locis non admodum immitibus, quorundam pedes manuumque digitos infestant. Fiunt autem à sanguine gelu tacto, qui in circuitu eà ratione præclusus propè venarum capillarium extremitates hærens parvi tumoris & molesti pruritûs est causa. His graviores sunt pustulæ illæ quæ per glaciem, nivesque iter, sæviente hyeme, facientibus, in corporis partibus externis, aut nudis sæpe oriuntur; molestiam gravem & diutinam exhibentes; sunt enim eis *Phlyctænis* non absimiles, quæ ab ambustione oriuntur. *Hyppocrates* de priscà medicina observârat, Ἔστι δὲ οἷσι φλυκταῖναι ἀνίστανται ὡς ἀπὸ πυρὸς κατακεκαυμένοισι.

De morbis à frigore externis. Perniones.

Phlyctæna.

Jamesius supramemoratus narrat, nonnullis ex ejus sociis à nimiâ sub dio inter nives morâ ejusmodi phlyctænas adeò difficiles accidisse: ut labori facti inutiles, vix quatuor-decem dierum spatio sanati sint. Hoc malum facit materia frigorifica, quo epidermidi fortiter impacta, cutimque subjectam vellicans præ partium vicinarum, & humorum calore ab exercitio excitato altiùs penetrare non valet. Lympha autem serosa, quæ dolori semper præstò est ob partium corrugationem à sensationis molestiâ ortam ex arteriolis per cutis poros patentes expressa cuticulam corruptam, ideoque

imperviam, in veſiculas tollit, eâdem ratione quâ ab ignis aut epiſpaſticorum admotu, aut gravi attritu excitari ſolent.

Scotus quidam generoſus qui in regnis borealibus militaverat, mihi retulit, in expeditione quàdam, cui interfuit, pleriſque militum pedes & manus adeò gelu contractas: ut multi ægrè incedere valerent, quidam non omnino, nec arma tractare; hyeme ſuis menſibus quibus à bello vacari ſolet, Martem graſſari indignante. Hoc illud malum eſſe arbitror quod *Arabes* medici *Alcuzez*, & Græci quidam *Malcen* appellârunt. Hoc in caſu ſpiritus partis affectæ muſculis inſiti, licèt nondum extincti, aut fugati, at multum debilitati frigore diuturno, torpere, & ab officiis ceſſare videntur. *Artuum contractiones.*

Sed Gangræna, ſphaceluſque omnium, quæ externè à frigore accidunt peſtes ſæviſſimæ ſunt, quarum illa eorum, qui in Aere vehemento frigido verſati ſunt, partes extremas ſubitò adorta malo in horas latiùs ſerpente, ſæpe ità graſſatur: ut niſi celeriter medicamentis validis, aut etiam ferro occurratur, correptus æger mortem miſerrimam brevi obeat. *Gangrena à frigoris vehementiâ.*

Ambroſius Paræus in Chirurg: ſtabularium affert hujus mali exemplum: Quidam Lutetiæ in frigore intenſo ſopitus aliquandiu jacens Gangrænâ in pede correptus eſt; & quamquam Chirurgi peritiſſimi omni arte oppugnabant, tibià etiam immedicabili amputatâ; labe tamen altiùs progreſſâ, miſer brevi extinctus eſt, hoc autem rariùs accidit, alterum autem malum frequentiùs: multis enim in nive, aut glacie in quibuſdam regionibus, quibus frigus vehementer ſævit, diu commorantibus, partes extremæ gelu adeo corrrumpuntur; *Sphutccus.*

puntur: ut si incauti ad ignem nimis properè accedant, eisdem priventur. Quam primùm enim calescunt, protinus quasi ferro abscissæ decidunt. *Xenophon* in *Anabaseos* Libro septimo narrat; nonnullos è Græcis qui post redditum è *Perside* in *Thraciâ* meruerant, nares, & aurium partes præ vehementi aeris sævitiâ amisisse. *Cor: Tacitus* item in annalibus de milite *Romano* in exercitu, quem *Corbulo* adversus *Parthos* duxit, mirum narrat: cui à lignatione in hyberna redeunti utræque Manus gelatæ, onerique hærentes simul avulsæ sunt. Nimis frequentia hujus cladis funesta exempla ubique in plagis septentrionalibus occurrunt. Ipse quidem nonnullos vidi digitorum mutilationem perpessos. Hæc à frigore ita fieri constat, at quâ ratione fiat; ut membra, tam firmiter connexa ita seperentur, non facilè patet. Mihi autem videtur, particulas frigorificas acuminatim ingressas primùm dolorem parere: deinde quiescentes torporem sensu, sua sede dimoto, inducere; easdem verò ab ignis calore in motum rapidum agitatas partium, quibus inhærent, unionem motu illo solverent caustici medicamenti cuti admoti particulæ à calore nativo validè motæ, partes, quibus hærent urant in emortuas, nil agunt ita nisi ad ignem accedatur, partes à frigore læsæ vix penitùs corrumpuntur; ignis calorem rarò impune ferunt. Ita tenera plantarum germina à pruinâ nocturnâ debilitata, pristinum vigorem recuperant, nisi solis etiam ardore lædantur; istud si fiat, siderata illicò, & caduca pereunt. In locis igitur, quibus hoc malum familiare, siquis eo corripitur, quamprimum senserit & priusquam hypocaustum subeat, locum affectum non aliâ strigile,

Historia.

Sphaceli ejusmodi ætiologia.

A simili illustrata.

gile, quàm nive ſtrenuè affricando frigus elicit, ſpirituſque fugitivos in ſuas ſedes reducit. Siquis totus gelu obriguit, in frigidam ab eis, qui eum curant, immergitur, & non niſi gelu educto ad ignem aut Hypocauſtum admittitur. Hoc ferè unicum eſt hujus mali remedium; & certiſſimum.

In pleriſque ægrotantibus à morbis undecunque ortis vulgò frigus admiſſum cauſamur, & in quibus contraria regnat qualitas, *procatarxin* huic imputamus, nec omnino injuriâ: nam à cutis poris auræ gelide affiatu conſtrictis, & διαπνοῆς viâ inde præcluſá plurimæ obveniunt ægritudines, quas tamen omitto, quippe qui ea tantum mala, quæ à frigoris exceſſu contingunt, perſtringo. *Morbi interni à frigore.* *Multæ ægritudines à frigore.*

Præter ærumnas, quæ membris externis accidunt modò memoratas, aliæ etiam ſæpe occurrunt, ab aeris ſupra modum frigidi aſperitate natæ, a quibus partes internæ, viſcera, humores, & exinde ſpiritus animales graviter afficiuntur ſupra dictum. *Avicenna* in lib. Canonis fen. 4° cap. ſcribit: quòd iter hyeme facientes à ſpaſmo, tetano, apoplexiâ, periclitentur & ſi hæc vitent in Boulimon ſæpe incidunt. Quibus paralyſin, dyſpnœam, Ileon, colicam, aliaque gravia accidentia addere potuiſſet. Mortem ab ambientis frigidi vehementiâ illatam miſerrimam eſſe, & doloris plenam vulgò creditur. At *Arabs* idem affirmat quòd lethaliter congelati tanquam ab *opio*, aut *Mandragorâ* ſumpta doloris expertes moriantur; quod probabile videtur; ubicunque enim ex partibus corporis exterioribus diuturniore gelatione affectis ſenſus externi fugantur, ſpiritus ſtatim obrepit perniciosus torpor ſomni ſimilis: à quo niſi *Morborum à frigore internorum enumeratio.* *Qui frigore pereunt doloris expertes moriuntur.*

tempeſtivè

Morbi soporosi à frig. tempestivè succurratur, penitus extinguuntur.

In locis igitur, quibus ea est aeris inclementia; ut hoc malum sit usitatum, siquis sit hoc modò comatosus, astantes eum corripiunt, admonentque; nè somno, & stupori, cedat; & excitando ab imminentis lethi periculo, quasi invitum abripiunt. Multi qui hujusmodi sopore periculoso non tentantur, aliâ ægritudine ab eadem causâ oriundâ, paralysi membrorum efficiuntur, alii tetano correpti rigent, alii convelluntur.

Ætiologia eorundam. Causam hujusce soporis, aut potiùs *lipothymiæ* (spiritus enim animales in hoc casu deficere, non quiescere videntur) in malâ sanguinis Diathesi ab ambientis frigore inducta ponendam reor. Ex sanguine enim materia spiritibus conficiendis in cerebro perpetim extillari debet: cui tamen ab eodem congelato commeatum nimis parcè suppeditari necesse est: perinde atque in vulgari destillatione, pars materiæ destillandæ spirituosa igni languente, & ferè extincto non ampliùs, aut parcè in Abembicum ascendit, maximâ ejus parte in Cucurbitam relabente.

Paresii. Spiritibus verò ex artubus vi frigoris excussis, aut nervis ad eos ducentibus, interclusis, oritur musculorum ἀτοbίαι, & paresis.

Tetani. Interdum musculorum fibræ subitò, auræ frigidæ appulsu ita afficiuntur, ut spiritus insiti improvisò deprehensi remeare nequeant: sed quasi stationarii in procinctu perstantes musculum affectum continuo rigore distendunt, alias etiam inordinatè discurrentes horrendo spasmorum cruciatu torquent.

Intestinorum & ventriculi atonia. Ab hujusmodi spirituum ataxiâ provenire videntur affectiones quædam, quæ famem, & colicam, mentiuntur, quibus in frigoribus immanibus aliquando

quando ventriculus; & inteſtina vexantur.

Iis enim, qui per nivem altam iter longum faciunt, accidit bulimus, & Lypothymia: ut ſcribit *Plutarchus in ſympoſ.* lib. 5°. Et ſiquis, inquit *Senertus, in Alpibus Rhæticis* hyberno tempore iter faciat; etſi ab unâ radice montis ad alteram uſque vix bina milliaria germanica interſint: nemo tamen jejunus eas ſuperare audet. *Lipothymia.*

Graviſſimis etiam ventris torminibus in quibuſdam locis cruciantur, multi qui inter nives moram nimis diuturnam trahere coguntur, quibus præter immenſum dolorem cibi modò ingeſti, & ſæpe ſtercora ob motum inteſtinorum periſtalticum inverſum vomitu regeruntur. Gallus nobilis à *Boylio* citatus, qui in iſtiuſmodi locis meruerat; narrat, ſe olim quoſdam ab hac colicâ, aut ileo extinctos vidiſſe; quibus abdomine poſt mortem aperto inteſtina livida & glutinoſa ſanie ſibi invicem adhærentia, inventa ſunt. Gangrænâ enim à frigore inductâ ſiderata erant, & putrefacta. *Tormina ob frigus.*

Inter pernicioſos ambientis aeris effectus ſpirandi difficultatem numeravi, & *Jameſius* de ſuffocationis periculo conqueſtus eſt. Quod in inſula *Charletoniâ* ſub dio diutius, quam par erat verſatus, cum ſociis ſubivit. De hujuſmodi dyſpnœa par eſt exiſtimare, ſanguinem ante tranſitum per pulmones ab aere particulis frigorificis impenſè ſaturato tactum, in curſu tardari, aut penè ſiſti. Poſſunt etiam thoracis, & diaphragmatis muſculi cum nervis motûs inſtinctum deferentibus; æquè atque alii à frigore penetranti ita lædi; ut inde Aſthma oriatur. *Aſthma ab eadem cauſa. art. 7. Hiſtoria. Ætiologia.*

CAP.

CAP. VI.

De quibusdam Artificiis quibus frigoris injuriæ mitigantur & frigidarum Regionum Commodis.

Frigidæ regiones populosæ.

1. PRæcipua, non omnia aeris inclementis incommoda memoravi; quæ tamen tot sunt, & tanta; ut mireris unde septem trioni tanta incolarum multitudo fuerit; cujus numerosâ prole, apum more, examina in omnem austri partem toties emissa pulcherrimas provincias subegerunt. Unde *Scandinavia* à quibusdam *vagina gentium* nominata fuit. *Asia* olim à *Scythis Cimmeriisque* infestata est. *India Tartaris* ejusdem originis gente possessa. *Romanum imperium* à *Gothis, Vandalis, Herulis, Hunnis*, aliisque à plagis Arcticis prorumpentibus spoliatum. Magna sanè septentrionalium fecunditas est; & Cœli injurias adeò timendas artificiosis adjumentis, aut propulsant, aut multùm sublevant, morbisque à frigore ortis ita promptè, sciteque occurrunt: ut habitatio in istis locis magis sit tolerabilis, & vitæ periculum longè minùs quàm vulgo creditur.

Tartari errabundi calorem ad arctum cedendo frigus solem insequendo austrum versus vitant.

2. *Scytharum Hamaxobiorum Nomades*, quos *Tartarorum hordas* vulgò dicunt, à sole in nostrum hæmisphærium ascendente polum versus recedunt, eundemque descendentem, cum armentis & gregibus in austrum insequuntur, ac ibi æstivant. Et illâ ratione Cœli incommoda vitare conantur. Alii septentrionales quibus sedes sunt fixæ, speluncas idoneas effodiunt; quibus ad vitam necessaria congerentes

gerentes totam hyemem securi latent, eamque quasi glires edormiunt. In urbibus, ea est ubique ædificiorum structura, ut facile à focis luculentis calfiant; singulorum etiam ædibus sua sunt hypocausta & conclavia adeo ad unguem exacte clausa: ut auram frigidam non admittant.

3. Corpora autem braccis, & vestibus pellitis contra frigus diligenter muniunt; pellibus enim mollissimis, & elegantibus plerumque abundant frigidæ regiones: quarum copiam, quia tantus earum usus, benignè indulsit natura. *Vestibus pellitis utuntur septentrionales.*

4. Externa etiam oleis calfacientibus frequenter foventur, interna vino, aut aliis generosis liquoribus corroborant. Hac arte callidus *Pœnus* ad *Trebiam* mirè *Romanos* tractabat. *Oleo, & vino foventur.*

Frigidam enim, & nivalem nactus diem, suos ventres cibis replere, membra oleo fovere, primo mane jubet; hostes autem prælii cupidos jejunos è castris elicit effecitque, ut homines à sole, & meridie venientes, inquit *Florus*, Romanos suâ hyeme vincerent. *Avicenna* in frigore agentibus Allii & ceparum usum commendat. Denique omnia cardiaca quæ spiritus languentes, & sanguinem exuscitent, hic prosunt. *Histor.* *Allium cepæ & quælibet cardiaca in frigore prosunt.*

Quo pacto artus rigentes, & præ frigore sensûs motusque expertes nive fricando restituunt, supra diximus. Cujus artificii Turcæ ignari superiori seculo, 40. millia hominum in Sarmatiâ, quo irrupe- rant, amiserunt. *Frictio juvat.*

5. Hæc sunt remedia, quibus hujusmodi mala mitigari, aut tolli solent: at Commodis etiam quibusdam singularibus frigidæ regionis incommoda compensantur: imo quorundam judicio præponderare *Frigidarũ Regionum commoda.*

Septentrionales minimam in æstate noctem habent.

rare videntur. 1°. Pro tenebris enim triſtibus, & verè Cimmeriis, quibus brumâ ſole in alterum Hamiſphærium demerſo omnia obvolvuntur, ſtatim à vere perpetuâ ætatis luce, & ſerenitate fruuntur.

Terra à nive fæcunda.

2. Tellus etiam, quæ ſex totos menſes nivibus, & gelu obducta latuerat, non alio lætamine refecta adeò luxuriat, ut Cerere ob Proſerpinam inventam ſupra modum lætatâ, nuſquam uberiorem frugum proventum, aut celeriùs productum invenias.

Septentrionalibus Aer ſalubris & exin longævitas.

3. Cui ſoli fertilitati accedit ea aeris ſalubritas, & omnium fere indigenarum, qui memorata mala vitant, adeò firma valetudo: ut nuſquam magis longævos videas, nam multi annum 140. tranſcendunt: quod plures facerent, niſi ſuâ intemperantiâ Filum vitæ medium abrumperet. Multos enim morbos, quibus reliqui mortales è medio tolluntur, *illi* vix nôrunt. Peſtis, quæ *Alchairi* in *Ægypto* quotannis graſſatur; in *Scythia*, aut *Sarmatia* vix auditur, uti nec Lepra; aliique morbi, qui gentibus auſtralibus ſunt Endemii, in plagis ſeptentrionalibus niſi eo iſtinc delati non ſentiuntur. Fallitque, quod vulgò circumfertur omne malum ab Aquilone & potius verum ſit illud Plinii Africam ſemper aliquid novi *mali* apportare. Denique Aer ſeptentrionalis condenſat, corroborat, concoctioni confert, & vires auget.

Peſtis aut Lepra in Scythiâ rariores.

CAP.

CAP. VII.

De Atmospheræ pondere & aeris Elatere.

1. IN Aere vitali perinde, atque automatis artificialibus duo subsunt motûs principia, pondus & elasterion. Gravitas Atmosphæræ sive à magneticis terræ effluviis, vel à motu atomorum ingenito, seu (quod verisimilius) à Cœlesti materiâ perpetim ingruenti, oriatur, ad vitæ conservationem adeò necessaria est: ut nonnullis persuasum sit, totum inspirationis cardinem in eâ verti.

Aer enim superincumbentis Atmosphæræ pressurâ in bronchia adactus, & inde in omnes pulmonum vesiculas irruens, easdem inflat, totumque thoracem cum abdomine ope musculorum diastole inservientium dilatare videtur. Systalticus etiam motus pectoris, quòd ab Atmosphæræ compressione ab extra factâ peragatur credimus.

Si cui difficile intellectu sit, Aerem naturali suo loco gravitare posse, sciat illud tot experimentis *Torricellianis & Boylianis* probatum; ut ultrà dubitare non fas sit.

Quoties ad alicujus salutem levioris aeris conditione opus est, in regionibus altis & montanis quærenda est. Constat enim experientia Atmosphæræ pressuram in locis editioribus quàm alibi longè minorem esse.

Ea est Atmosphæræ constitutio ut pressa velleris instar restitutionis statum affectet, & in tubulo compressa magno impetu sese explicet. *De aeris Elatere.*

Certè

Certè pondus Atmosphæræ ad vitalitatem parùm conferret; nisi particulis elasticis imbueretur. Quippe solâ earum operâ motum humorum intestinum, & maximè vitalem exuscitat; eisdem verò privata vitæ sustentandæ fit plane inutilis.

Vim istam aeris elasticam à nitro ejus subtili, oriri autumamus; cujus ministerio omnium in Atmosphærâ & aquis animantium motus vitali, & ignis in qualibet re sulphureâ perennat. Duplici igitur ratione hoc nitrum absumitur, nempe animalium respiratione & deflagratione ignium.

Nonnulli solerter conjiciunt Aerem his operationibus defunctum gravitate pariter atque elatere exui, & proinde aeris integri pressùrâ sursum in ætheris viciniam protrudi; (non secus ac suber, aliudve aquâ multo levius ad fluvii fundum detrusum, quam primum liberatum sit, illico cum quodam impetu emergit;) Creduntque effætum aerem, in istis regionibus nitro isto vitali abundantibus, de novo impraegnari, mox suo ordine in dictos usus descensurum.

Hinc summâ divini opificis providentiâ, ætherei animarum pabuli ubique præsto est cornu copiæ: unde singulis, quanto opus est, haurientibus, tantundem semper denuò apponitur. Alioquin (inquit D. *Jo: Mayow*, qui de his rebus ingeniosè 'commentatus est) nulla omnino foret hominum, 'imo ne animalium quidem societas: quippe opor'teret, ut singuli & separatim vitam degerent; 'quò viz. spiritus aeris penus ad vitam sustinendam 'satis amplus, cuique suppeteret.

CAP.

CAP. VIII.

De aeris tenuitate & siccitate.

1. AMbiens nullis corpusculis alienis obscuratum, nec suo humore nimiùm oppletum lumine solari & astrorum poros ejus libere permeante multùm dilatatur, & exinde clarum, leve, siccum, & serenum fit. Hujusmodi aeris temperie plerique delectantur, & tenuem jure dicunt. *Aeris tenuis descriptio.*

Sed nulla Atmosphæræ pars unquam eo tenuitatis venit, ut humore omnino vacet, quippe sine eo interspérso non esset vitalis. Particulæ verò aqueæ ei disseminatæ corpusculis, quæ qualitates activas excitant suâpte naturâ nimis efferis, moderantur & quasi frænos injiciunt. Et quanquam in sicciori Cæli constitutione iste humor ita in minutias dispescatur, ut non sit conspicuus nihilominus in aeris sinu copiosè contineri liquido constat. Nam plantæ quædam in aere suspensæ diu crescunt: & tempestate calidà & siccà particulæ aquæ in aere fluitantis lateribus vasis argentei frigidâ impleti impingentes in guttulas condensantur, ut supra probavimus. *Nulla pars Atmosphæræ humore vacat.*

In hujusmodi Cœli statu qualitates activæ maximè intenduntur. Unde in mediterraneis, & siccis regionibus calores, aut frigora vehementiùs sæviunt, quàm in maritimis etsi parallelis. *In aere tenui qualitates intenduntur.*

2. An in terris etsi editissimis possit ea Atmo-

 sphæræ

sphæræ tenuitas esse; ut respirationi & vitali humorum motui non sufficiat, ambigitur. In excelsioribus montium cacuminibus non commodè spiratur, quod in humoris aerei defectum rejicitur; sed quàm rectè hîc consideremus.

In montibus excelsis spiratio læditur.

Qui *Tenariffæ* cacumen, (quod metæ formâ longe supra nubes caput æthereum attollit) curiosè superant, spongiis madidis naribus admotis aeris nimis tenuis defectum supplere feruntur. Idem narrat Aristoteles ab eis qui Olympum ascenderunt factitatum: sed illis, qui *Tenariffæ* cacumen superarunt, sine spongiis, dyspnœa nihil officit. Item *Josephus Acosta* nauseam & vomitiones, quas gravissimas ipse cum sociis quibusdam passus erat, dum *Periccaccæ* montis *Peruvanæ* & forsan totius orbis editissimi, juga transiret, aeris subtilitati acceptas tulit. Quod verisimilius erit, si verum sit, quod idem asserit, nimirum istum montem supra *Alpes*, aut *Pyrenæos* caput tantùm efferre; quantum excelsæ turres privatas ædes superant.

Aer nimis subtilis respirationi nõ sufficit.

Aerem nimis subtilem respirationi & motui vitali non sufficere nullus dubito. Experimenta *Boylii* illud extra controversiæ aleam posuerunt. Nam animalia in machinâ pneumatica inclusa aere exhausto protinus spasmis tentata expirant. Sed quo pacto aer in montibus etsi altissimis ita attenuetur, ut partibus ad vitam sustentandam dicatis prorsus destituatur non video.

In montibus vix ita attenuatur.

Si effluvia quædam terrestria Atmosphæram vitalem necessariò ingrediantur, quid obstat, quo minus æquè è montium jugis & lateribus, ac è convallibus, aut planitie possint emanare?

Aer vitalis humore vacare non potest.

Humoris etiam, quo in aeris vitæ conservantis compositione opus est, copiam montibus semper præstò

præſtò eſſe par eſt credere. Verticibus enim aliquorum, aut non procul inde ferè nubes, aut inſident, aut imminent: & nihilominus reſpirandi difficultas omnes quotquot aſcendunt ilico invadit. Cum in deſertis arenoſis, ubi parùm humoris hoſpitari putes, reſpiratio non ita deficiat. *Humor in montibus excelſis non deficit.*

Itaque cauſa horum phænomenon ab effluviis quibuſdam, quæ montes mineralibus gravidi emittunt, potiùs petenda videtur.

Avernus.

Sic infamis olim erat *Avernus Campaniæ* ob *Mephitim*, quam adeò nocentem exhalavit, ut volucres tranſvolantes interimeret. Sunt etiam multa alia iſtiuſmodi loca quæ infeſtâ *Anathymiaſi* animalia appropinquantia perimunt aut ſaltem lædunt.

Sunt, quibus videtur, inſpirationem in montibus adeò celſis ob nitri aerei defectum interturbari. *Inſpiratio an ob nitri defectũ impediatur in montibus.*

Sed ſi humor aereus poſſit in monte aliquo omnino deficere, mihi veriſimilius videtur, copiam nitri ſuo ſufflamine, hoc eſt, aqueis particulis privati ſanguinem, & ſpiritus plus nimio agitando, reſpirationem difficilem, & ventriculi motus convulſivos ciere. *Potiùs à Nitri copia humore privati.*

Vel poteſt aura ſpiritalis nimis elaſtica fieri: quod in locis ætheri proximis pondus Atmoſphæræ elateri ejuſdem non reſpondeat, nec ſatis reſiſtat. Unde *Acoſtæ* & ſociis non modò dyſpnœa, ſed nauſea, & ſanguinis vomitio accidebat. *Vel ab aere nimis Elaſtico.*

Si reſpiratio ſola læderetur, poſſes credere, Atmoſphæræ pondus in montium verticibus non procul infra limites ejuſdem poſitis tantillum eſſe; ut auræ in vaſa pulmonaria adigendæ non ſufficiat. *Vel ob pondus diminutum.*

Ego autem, qui Atmoſphæræ terminos tam anguſtos eſſe non credo, his poſtremis ſententiis minùs faveo.

Qualis aeris temperies anitati maximè conducat.

Keplerus Atmoſphæræ altitudini 8. Milliaria ſed Ricciolus quinquaginta Italica aſſignat. Gaſſendus, & Merſennus quadraginta.

Ad æthere purum perveniri non poteſt.

3. Atmoſphæra certè mihi videtur montes exceliſſimos tot paraſangis ſuperare: ut ad ætherem puriſſimum à nullo animante ſine Pegaſo perveniri poſſit. Et ſi poſſes eò venire, invenires eum vitæ pabulum eſſe animantibus terrâ viventibus non magis adæquatum; quàm ſpiritus vini aut liquores ejuſmodi generoſi eſſent aquatilibus.

Aer ten. ſanitati ferè conducit.

Aerem verò tenuem, clarum, & ſubtilium miaſmaton immunem ſanitati conferre cenſemus, μιασμάτων immunem dicimus: quia ſunt inquinamenta quædam inconſpicua; quæ licèt aerem cui inſunt inficiant, eâ tamen ſunt partium tenuitate, ut non obſcurent.

Cujuſmodi locus habitationi deſignandus.

Unde in loco habitationis ſalubri deſignando non tantùm Cœli ſerenitati fidendum, ſed loci ſitus, ſoli natura, venti perflantes, & alia ſunt conſideranda quæ ſi examine ritè facto voto reſpondent, ſedes ſalutares fore, & vitæ commodas jure ſperes.

Valetudinarii aerem tenuem quærunt.

Et talem aeris conditionem quærunt medici, in quem valetudinarios mittant. Plurimi enim morbi graves, & alioquin inſanabiles, benigni ſyncerique aeris beneficio ſanantur. Ægrique tantùm non conclamati, ab ipſis orci faucibus erepti, in ſanitatem reſtituuntur.

Romani phthiſicos, & Aſthmaticos ad *Tabias* locum ſicci aeris, & ſereni in *Campaniâ* propè *Veſuvium* relegare ſolebant: ibi Sulphureæ montis aporrhœæ ad ſanationem conferebant. Aliis, quorum vires

vires & rationes longinquam navigationem ferebant, ferenum *Ægypti* aerem commendabant. Nostri medici litorum accolas & insulares istis morbis laborantes, aut alios qui eodem modo tractandi sunt, in aliquam continentis regionem Cœli sicci, & moderatè calidi amandant.

At ista tenuis aeris temperies non omnibus æquè convenit: Novi enim quosdam quorum morbi conditio, & ipsa ratio eam postulare videretur tamen nullo modo potuisse perferre. Sed in crassiori aurâ commorari coacti sunt, nè flammula vitalis nimis exilis & facilè difflabilis in aere libero, & perflato extinguatur. *Aura ten. non omnibus convenit.*

Hanc idiosyncrasiam in singulis minùs mireris; si consideres eandem diætam in diversis gentibus aut altero sexu diversissimos sortiri effectus. *Marcus Paulus Venetus* in lib. 3. cap. 33° duarum insularum in sinu Arabico meminit, quarum altera à viris solis habitatur, à fæminis tantùm altera, quod alterutra incolis alterius sit pestilens, *Vis idiosyncrasiæ in sexu.*

In regione *Hispanis* dictâ *Vera Paz* inter *Hunduras*, & *Jucutan*, *Lachesis* virili sexui, quàm muliebri multo æquior, huic brevissimum, illi vitæ filum adeò longum ducit ut pro singulis fœminis viduis, triginta viros, qui uxores extulerunt, ut perhibent, invenias.

Sed notius est quòd *Lusitani*, qui insulam S^ti^. *Thomæ* in litore Africæ occidentali sub ipso Æquatore positam incolunt, rarò quinquagenarii evadant, cùm *Æthiopes* tam advenæ, quàm indigenæ ad centessimum ætatis annum perveniant. Tantum potest in gentibus temperamenti diversitas. *In gentibus.*

Anomaliam autem istiusmodi ubique in singulis

Pauci ſunt quibus aer craſſior confert. invenias, nec multi ſunt; quibus aura craſſior expediat, cum ubique videre ſit Aſthmaticos, qui in urbes aut regiones fumoſas aut nebuloſas ingreſſi præ thoracis anguſtiâ vix queunt reſpirare: Eoſdem verò in tenuem & ſerenum aerem remigrantes dictum factum convaluiſſe. Non temerè igitur opulentiores urbani frequenter ruſticantur.

aeris tenuis virtutes. Nam ab aere tenui, & omni impuritatis labe immuni tartareæ fæces, quæ pneumonicos, alioſve viſcerum meatus obſtruxerant, diſſolvuntur.

Sanguis quoque fæculentus novis quaſi ſtimulis irritatus, & volatilizatus vegetiùs promovetur, ſpiritualibuſque inde extillandis paratior redditur: unde ſenſibus novus accedit vigor, anima ſua munia liberè exequitur, & optata animo conciliatur alacritas, depulſis à Cœli, & animæ ſerenitate melancholiæ nubibus; ſiquæ mentem priùs obnubilaverant.

Sed cùm omnibus Cœlo ſereno, & tenui frui non contingat tametſi ipſa ſalus illud commendet, quin nonnulli lucro invitante aut cogente neceſſitate ſemper in aere craſſo & contaminato verſentur, craſſam Cœli temperiem proximè diſpicimus.

CAP.

CAP. IX.

De aeris crassitie, & diversimodâ materiâ in aerem sublatâ: unde morborum, & animalium αὐτογενῶν ortus, & nonnunquam ipsa animalia decidua.

1. Constitutio aeris imminentis plerumque soli subjacentis naturam sequitur. Unde in uliginosis regionibus, maritimis, & insulis Cœlum ferè nubilum est, ambiénsque Aer gravis, & crassus. Quippe à nimio humore in ejus poris hærente comprimitur Atmosphæra. *Aer in loc: humidis craßus.*

Aer autem qui magnis urbibus incumbit, fumeis aut aliusmodi particulis heterogeneis opacus est. *Et qui urbibus imminet fumeus.*

Verno item tempore, & æstate Cœlum alioqui sudum Euro flante exhalationibus terrestribus, quas iste ventus ab immensâ continenti everrit, nonnunquam subobscuratur. Hujusmodi aeris conditio est frugibus inimica, nec animantibus propitia: nostrates eam ventum rubentem, *A red wind*, nominant. *Obscurus ob terrestr: exhalationes.*

At frequentiùs à vapore aqueo, quàm ab aliis exhalationibus aer crassescit. Quòd aquæ particulæ faciliùs quàm salinæ, aut oleosæ solari, aliove calore è suâ massâ, aut aliarum rerum consortio divelli solent. Et ex istis in aerem proximum sublatis fiunt nebulæ; eædémque in sublimiorem regionem elevatæ in nubes coeunt. *Nubilus aer. Aqueæ particulæ facilè solvuntur.*

Aer humidus non semper insalubris

Hujusmodi aeris κατάστασις non admodum incommoda est eis, quibus sana est pulmonum constitutio modò nebulæ particulis puris, & merè aqueis constent, nec fumis, nisi è benignioribus concretis misceantur.

Corpora non nisi tenuia in sanguinem admittuntur.

Quanquam enim omnimodæ particulæ in Atmosphæra fluitantes inter inspirandum in Bronchia pulmonum admittantur, tamen non nisi tenuia & valde subtilia corpuscula in sanguinem recta pergunt; Aquis aliisve non congruæ figuræ, in sinuoso pulmonum parenchymatis anfractu, hærentibus; unde expiratione rejiciuntur. Perinde atque in spiritus vini rectificatione, fieri solet, cum cucurbitæ orificium spongiâ, aut chartâ multiplici obturatur: per eas enim liquoris pars spirituosior in Alembicum liberè ascendit aquosiori in cucurbitam recidente.

Simile.

Quare insula Stæ Helenæ & Bermudes adeo salubres.

Et Hinc est quòd insulæ *Stæ Helenæ, & Bermudez*, exiguæ terræ in vasto Oceano sitæ, & humidissimæ maris auræ, sed miasmatis quibuscunque immuni, expositæ inter saluberrima totius orbis habitacula celebrantur.

In regionib. humidis incolæ ferè pulchri.

Imo in regionibus perquam humidis ferè visuntur incolæ oris candore, & corporis proceritate, spectabiles, & Habiliores. At quia cum corporibus ingenia etiam pinguescere creduntur, tales sedes apud nonnullos malè audiunt.

Aer humidus procreandis ingeniis infelix.

Unde *Bœotiæ* incolas *Homerus*, Πίονα Δῆμον appellavit: quæ regiò ob aeris crassitiem adeò infelix ingeniis procreandis habita fuit; ut *Bœoticum* ingenium pro crasso, & hebete in proverbium abierit. Cum *Attica* vicina cui Cœlum tenue fuit, & purissimum, insignem doctorum & solertium hominum proventum semper protulit, ingeniorum

præ

præstantiâ, ab aeris bonitate, pendente.

Constat autem hoc fallere posse, & illud Poetæ aliquando verum esse.

Summos posse viros & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ, crassoque sub aere nasci.

Sed hoc sæpe fallit.

Quin & *Plutarchus*, & ipse *Bœotus* ingeniosus Popularium suorum tarditatem potiùs gentis edacitati, quam aeris impuritati imputat & tales fuisse *Bœotos* liquet ex *Athenæi* lib. 10 cap. 1. & 2.

Hippocratis de aeris humido sententia.

Huic autem defensioni humoris in aere sparsi subscribere *Hippocrates* recusare videtur qui scripsit Νοσήματα ἐν τῇσιν ἐπομβρείῃσιν γίνεσθαι. Certè nebulæ, quæ particulis merè aqueis constant licèt aerem obscurant; tamen innocentes sunt, aut leviter peccant. At frequentiùs in earum sinu fædæ quædam impuritates hospitantur, & unà sublimes feruntur, quæ interdum tetro nebulæ odore, alias gravi aliquo effectu suam malitiam produnt.

Impuritates in nebulis hospitantur.

In *Guineâ* & aliis quibusdam *Africæ* provinciis post imbres, qui sole in Zenith imminente à mediâ noctè ad meridiem usque perpetuo decidunt, incolæ aliquandiu à venenatis vaporibus, quos terra post pluvias, exhalat graviter metuentes domi se continent.

In Guineâ imbres nocent.

In *Ægypto* etiam, quæ singulari naturæ privilegio, constantiori, quàm aliæ terræ, serenitate fruitur, si nebula in pluviam solvatur; dicitur corporibus, in quotquot decidit, ulcuscula molesta infligere.

In Ægypto ulcera cient.

3. In aliis etiam tractibus non tantùm morborum; sed animalium quoque semina: imo, (ut nonnulli perhibent,) absoluta animalia è nubibus cum pluviâ decidunt. In paludosis *Guineæ* locis

In aliis locis alios morbos & in Guinea vermes procreant.

vestes laneæ quæ pluvià madent, protinus vermiculis scatent. Et *Petrus Martyr in decadibus* refert: quòd in *Dariene*, (eà *Isthmi* pars est, quæ peninsulam *Peruvanam Mexicanæ* connectit) pluviæ guttulas modò stillatas in gyrinos statim mutatas viderit.

In Dariene gyrinos & ranunculos.

4. Sed illud admiratione imprimis dignum est, quod *Olaus Magnus* in historiæ septentrionalis. lib. 18. cap. 16. narrat. Quod in *Norwegiâ*, & nonnullis *Sueciæ* provinciis bestiæ quædam quadrupedes (Indigenæ *Lemaren* vocant) magnitudine murium, pelle variegatà, cum imbre de Cœlo caderent; quæ locustarum instar quicquid esset viride, tenerumque depopularentur, aut inficerent: & tandem acervatim morientes, aerem pestilenti fætore ita corrumperent, ut incolæ inde vertigine, aut periculoso ictero corriperentur.

In norvegiâ Bestias dictas Lemmurs, ut fertur.

Atqui de earum ortu, quicquid scribit *Olaus*, meritò ambigitur. Nec rationi consentaneum videtur, tanta animalia in nubibus frigidis perfectè generari posse. Mihi magis arridet eorum sententia, quì credunt, eas ab inaccessis montium fastigiis, & inviis rupibus ineluctabili ventorum impetu raptas, in valles, & campestria dejici; aut post imbres sponte victum quæsitum in planitiem descendere.

De earum ortu ambigitur.

5. Non tamen putandum *Pythonem* putredinis à nimià humiditate factæ unicam fuisse sobolem. Nam testatur experientia; è rore, nebulis & pluvià aquâ corruptà insecta, vermiculosque copiosè generari: & ex illorum, præ squalore æstivo, morientium fætore morbos funestos sæpe oriri.

Insectorum quorundà spontaneus ortus.

Qui igitur valetudini suæ optimè consultum volunt;

lunt; incilibus aquas ſtagnantes derivantes è locis peſtilentibus ſæpe habitationes ſalubres efficere conantur & è contrà fæda ſordium colluvies aerem ſalutarem, ex incuriâ perniciofum valet reddere; & in hoc caſu *Camerinam* tempeſtivè movere expedit. *Aquarum derivatio ſanitati utilis.*

CAP. X.

Aerologiæ pars ſecunda De aeris infectione.

1. NUllis rebus terrenis, naturæ lege, vera & perfecta partium datur quies: ſed perpetim ab ortu ſuo ad maturitatem, & inde ad interitum moventur. *Nulla perfecta quies.*

Sunt, quæ firma, & fixiſſima remur: at eadem ſubtili materiâ nunquam non trajiciente, eaſdem ſubeunt mutationes: etſi non uno ſeculo obſervandas. Nonne *lapides quoque vinci cernis ab ævo* inquit *Lucretius*. Ipſe quoque *Adamas*, aut quicquid eſt duriſſimum motûs temporiſque pluſquam adamantinis cedit dentibus. Itaque ex omnimodis concretis emanant effluvia; quæ *in immenſum aeris mare* (voce utor *Lucretianâ*) recepta paſſim circumvolitant, eumque variè inficiunt, pro partium, quibus conſtant, inſenſilium figuris, animalibus, quibus occurrunt benigna, aut malitioſa. Et ut ſaporum, odorumve diverſitas, à particularum ſalinarum aut ſulphurearum figuris pendere videtur; ita ἀπόῤῥοιαι quæcunque ſenſoriis intactis *Effluvia partium figuris diverſimodè afficiunt.*

ctis rectà, in humores, & ſpiritus tranſeunt, ob varios partium Σχηματισμὸς, effectus diverſos ſortiuntur.

Quædam ſanguinem fundunt. Alia coagulant. Spiritus etiam afficiunt perturbăt. Alia figunt.

Quædam ſanguinem fundunt. Aut nimis agitando motum æſtumque excitant febrilem, alia eum coagulant. Aut aliquo modo ſtagnare, aut remiſſiùs, quàm par eſt, promoveri faciunt.

In ſpiritibus etiam quædam motus inordinatos cient. Ut In fæminis, aliiſve teneræ conſtitutionis & hyſtericis ea quæ ſuave olent: alia eoſdem figunt, Cujuſmodi ſunt, quæ à torpedine exhalantia validis piſcatoris lacertis ſtuporem inducunt.

Particulares corporis partes afficiunt.

Quinetiam hanc, vel illam corporis partem particulariter afficiunt. Et perinde ac *Cantharides* veſicam, meatuſque urinarios; *Opium*, *aut Hydrargyrum* ſubactum, ore ſumpta, vel cuti applicata hoc ductus ſalivales, illud cerebrum ſuâ ῥοπῇ petunt, Ita in Atmoſphærâ ſubinde dominantur effluvia; quorum particulæ humori in aliquam corporis deſtinato penè conformes, eidem ſeſe facilè inſinuant, & membra quò deferuntur, afficientes, varios morbos conſtituunt: eiſque typos ſuos efformant.

Quomodò ea quæ aerem inquinant, è Concretis ſeparantur.

2. Corpora pleraque adhuc apyra ſolutione ſpagyricâ in *Spiritus*, *Sulphur*, & *Sal*, cum aquâ & terrâ damnatâ dirimi poſſunt: At concreta omnia eandem horum proportionem non continent, ideo nec ex æquo exhibent.

Principia Chymica. Omnia naturæ energiâ diſſolvuntur.

Itidem è rebus omnibus nativis mitiori naturæ energiâ ejuſmodi principia à concretis ſeparata aeri vitali immiſcentur.

In hâc ſpontaneâ rerum analyſi ſpiritus à motu in ſemine primùm incepto irrequieti, & liberiorem

rem ſpatiandi conditionem affectantes intus commoventur, & eo pacto partes ſibi lege naturæ appoſitas ſubigunt, & ad perfectam coctionem diſponunt.

Poſt maturitatem autem ſui juris facti cum particulis Sulphureis exaltatis foras avolant; & exinde oritur à rebus pleriſque maturis gratus odor. Poſtea etiam concreti compage ampliùs reſeratâ ſalina corpuſcula ſulphuri adhærentia & unà prorumpentia, aculeis ſalium ſenſorium ὀσφραντικὸν ferientibus odore moleſto ſunt infeſta, qualis eſt fere putreſcentium fœtor. *Maturitatem ſequitur corruptio.*

Quinetiam præter iſta minima naturæ, meraque rerum principia inteſtino illo partium tumultu moleculæ quædam integrales totius naturam referentes in terræ viciniam ſublatæ aerem proximum occupant: prout in æſtate pulverem à viatorum pedibus cieri cernimus. *Partes quædam integrales in aerem tolluntur.*

Sic *Caphura* niſi in ſemine lini, pſyllii, aut pipere ſervata detineatur, tota in auras evaneſcit. Et Naphtham Sulphurearum emanationum *Halos* perpetuo circumſiſtit, cujus ductu ignes ad eam raptim feruntur. Porrò cum humore, qui jugiter ſublatus in nubes cogitur, infinita particularum integralium copia radiis ſolaribus, aut nonnunquam turbine ſublimis agitur quæ decidentes multis admirationem, aliis metum incutiunt. *Camphora ſponte in aerem ſolvitur.*

Multis in locis ſanguine pluiſſe Chronica prodiderunt; quod credulam ignorantiam non parùm torſit. Sed iſte ſanguis non aliud fuit; ac *tinctura terræ chalcanthinæ & bituminoſæ* vi ſolis, aut ignis ſubterranei (ſi detur) elata. Cujus generis fontes multos in ericetis, ubi ceſpites ſulphurei eruuntur, vidimus. Aut forſan, (ut aliis viſum eſt) vapo- *Unde pluvia ſanguis credita.*

res

res in ipso aere spiritûs Vitriolici, & halitûs asphaltici permixtione colorantur.

Morganæ Rheginorũ descriptio. *Athanasius Kircherus* spectaculi stupendi, quod accolæ *freti Siculi Morganam* nominant, collucentibus mineralium ramentis in sublime evectis causam ascripsit.

Res narratu digna est, & auditu jucunda. Propè *Rhegium*, tellure solibus æstivis candente, in nubibus mira, variaque conspiciuntur phantasmata; scilicet ædificia eximia, peristylia, theatra, urbes, aliàs exercitus, armenta ingentia, aut sylvæ successivè apparent.

Ejus ætiologia à Kirchero facta. Hujus phænomeni ætiologia varia ingenia mirè cruciavit. Sed *Kircherus* sagacissimus arenam *selenitis*, & *antimonii* minutiis scatentem contemplatus, statim conjecit, quod Eædem in nubes sublatæ speciem speculi sed *Polyhedri*, aut è variis vitri fragmentis concinnati, exhiberent. Unde singula cujusque generis multitudinem repræsentabant. *Sol pilos aliasque festucas tollit.* Qui materiæ hujusce in aerem subvectionem suspicatur, meminerit pilos, paleas, aliasque festucas subinde in grandine inclusas inveniri.

De locis pestilentibus, & morbis ab aere inquinato ortis in genere. Sed insensiles emanationes, magis in rem nostram sunt; ab eis enim, singulis regionibus sua idiopathia; Gentibus etiam plerisque formæ morum, & forsan, coloris diversitas, morbi etiam endemii inde orti, quos proximè dispicimus.

Paludes & æstuaria insalubria. In tractibus paludosis, & maritimis præsertim propè æstuaria quædam occurrunt loci insalubres; quos peregrinus eis non assuetus sine valetudinis dispendio ægrè transire potest, nedum diu ferre.

Alexandretta. Hujus generis est *Alexandretta in Syriæ* maritimis; ubi Proxenetæ, aliive, qui per negotia nequeunt secedere, sed hærere illic coguntur, febribus putridis tentati

tentati aut pereunt, aut de vitâ graviter periclitatur.

Alexandria etiam *Ægypti* soli, aerisque pestilentis notâ non vacat; uti nec *Cairus* ipsa provinciæ caput, & celeberrimum emporium: quæ quotannis febre pestilentiali ab Hyeme ad æstivum solstitium misere vexatur: quæ tamen ad primum *Nili* incrementum cessare dicitur. Alii tamen pro hac urbis convalescentia Soteria etesiis ventis potius, quàm flumini solvenda existimant. illi enim ab illo tempore regionem strenuè perflant & eà operà aërem impurum ventilando purgant. Vansiebius in suâ Ægypti descriptione hanc aeris mutationem rori cuidam acceptam fert: quo circa solstitium æstivum decidente aer purgatur, & Nilus fermentescit. Fiuntque exinde uterque saluberrimi. In *India* litoribus nimium crebrò occurrunt loci pestilentes, morbique immanes inde orti. *Malacca* quidem opulenta est, at situ humili infelix. *Bantama Javæ*, *Pedir Sumatræ*, *Mozambiqua* merces *quidem* eximias præbent; at non sine vitæ periculo petendas. Denique ubicunque nascitur piper, aerem minùs salutarem expectes. In insulis quoque istius tractûs nonnullis ea est soli effluviorum malitia; ut advenis terrâ insistere, sit periculosum; humi verò dormire lethale. Quamobrem incolæ pensilibus *tantùm* domiciliis utuntur. E contrà *Creta*, & *Hibernia* hominibus salutares venenata animalia non alunt. Hoc beneficium nonnulli Hiberni D. *Patricii* precibus acceptum ferunt; quod reverà telluris aerisque constitutioni debetur.

Alexandria. *Cairus.* *Bantam.* *Peder.* *Mozambique.* *Ubi piper nascitur acr est insalubris.*

Mala, quæ his locis, aliisque hujusmodi in advenas grassantur, nec indigenis semper parcunt, sunt febres ardentes, continuæ, & interdum inter- mittentes,

De morbis eisdem speciatim.

mittentes, dysenteriæ, choleræ unà cum phrenitide, Lipothymiâ, aliisque diris symptomatis, quæ plerumque in mortem terminantur quibus addas dracunculum usitatum in hujusmodi locis Cachexiæ comitem.

Dracunculi. Quibusdam in locis, præsertim in cœnosis *Guineæ* littoribus, & aliis *Æthiopiæ* plagis ab aere putrido cum fædo victu inter crurum musculos nascuntur *dracurculi*, qui corpora quædam teretia sunt, & oblonga, πνευρῶδες. ἐρθαρμένον vocat Jul: Pollux. Id autem quicquid sit, nisi caute & tempestivè educatur; ægris magnum affert dolorem, & periculum. Operatio autem ita fieri solet. Chirurgus, aut alius peritus exertam Dracunculi partem verticillo, simili eorum, quibus fides intenduntur, affigit; quem circumducendo quotidie partem aliquam extrahit, at sensim. Quippe si dirumperetur; de ægro actum esset, gangrænâ membrum sæpe invadente.

Ratio extrahendi dracunculos.

Morbi modo dicti aliique, qui in istiusmodi tractibus aliquando suppullulant, quasi capita ejusdem *Lernææ Hydræ*, ab unicâ pendent origine. Corpuscula etenim Sulphurea, quæ à putri terræ uligine affatim exhalant, in sanguinem inspiratione recepta Sulphur innatum, victûs intemperantiâ, Cœli calore, aut aliâ procatarxi exaltatum, in æstus febriles extimulant. Quæ febris, licèt natura in miasmatis amolitionem insurgere videatur; raò rectè & laudabili crisi judicatur. Sed pars materiæ febrilis per cœliacas, aut mesaraicas arte ias in ventriculum, aut intestina delapsa vomitus & diarrhœas infestas excitat, & tandem derasâ materiâ istâ crustaceâ, quæ intimam intestinorum membranam vestit, & pro epidermide, contra molestam Aci-

dorum

dorum humorum vim tuetur,) tormina infanda afferunt; nec morbum terminant. Eadem materia nonnunquam in cerebrum impetuoſè ruens cephalalgiæ, delirii, & phrenitidos cauſa eſt, aut in alias corporis partes depoſita phlegmonas, aut alia mala non levia inducit. Et Dracunculorum cauſas quod attinet, probabile videtur ſanguinem à febrili deflagratione, aut aliâ de cauſâ Principiis activis penè ſpoliatum in vaſis partium dependentium juſto tardiùs moveri, ſuccumque nutritium unà hærentem in corpus σκωληκοειδὲς ſubinde in vaſculo aliquo concreſcere: non ſecùs, ac carnoſum illud, quod polypum cordis vocant, quod in tabidorum & Cachecticorum quorundam diſſectis cordibus natum obſervatur. Illud vulgus imperitum ſerpentem exiſtimavit: imò Ætius, aliique non infimæ notæ medici vermem dixerunt. Atqui Avicenna, Albucharſis, & Haliabbas, venam Medinæ nominârunt. *Dracunculorum materia.*

Ratio cruciatûs & periculi, quod accidit, ſi dracunculus extrahendus in carne diſſiliat; in hoc ſita eſt, quòd in ſuâ ſede, licet organicis partibus deſtituta vitam plantæ vivit: at inde divulſus fit corpus in carne alienum, & idcirco facilè putreſcit: poteſt etiam à parte diruptâ virus aliquod corroſivum effundi.

Hic obiter notes alium eſſe morbum ἐπιχώειον *Trichiaſis.* in quo vermiculi quidam capillares puerorum (tales enim præcipuè hoc malo infeſtantur) dorſis capitula ſua nigricantia exerunt, hos *Sennertus* & alii dracnnculos nominant. Ad hæc referri poteſt *Ariſtotelis* Ἰειχια lib: animalium 7. *cap.* 15. memorata Mulierum mammis infeſta.

Inter mala endemia, vix aliud ex aere impuro

 frequen-

De febribus ab aere ortis. Feb. Intermittens.

frequentius; quam febris intermittens, cujus in tractibus quibusdam maritimis ea eſt immanitas ut advenas, in ejus limites, ingreſſos rarò impunè ſinat diſcedere. Et quanquam omnimodis typis variegatæ in iſtis locis febres oriuntur; plerumque tamen graſſantur quartanæ, in quarum cauſas inquiſiturus, omiſſis veterum placitis, & ingenioſis recentiorum commentis, meam conjecturam propono. Febrem quidem ſynocham præter naturalem humorum vaſis ſanguiferis confluorum efferveſcentiam à nimiâ principii alicujus activi exaltatione, aut miaſmatis venenato afflatu enatam cenſeo: at primaria intermittentis ſedes in cerebro, & ejus appendice medullari quærenda mihi videtur.

Ingruente enim paroxyſmo æger oſcitat, & pandiculatur: quibus præludiis ſuccedit capitis, dorſique dolor, & nonnunquam delirium, dein ægrum invadit, & ſæpe miſerè torquet, rigor, vehemenſque totius corporis concuſſio, quam ſine ullâ moleſtiæ intercapedine æſtus ſubſequitur febrilis: qui ferè poſt aliquot horas, ſudore oborto in apyrexiâ terminatur, & exinde certæ induciæ in ſtatam proximæ acceſſionis duraturæ horam. Hic licet conjicere materiam hujus morbi a ſanguine aliquatenus depravato oriundam, in cerebrum & ſpinalem medullam congeſtam, in latice, qui eas partes perluit, hoſpitari. Eumque laticem iſtâ materiâ ſaturatum fermenteſcere. Unde torpor, cum capitis & dorſi dolore oriri putatur, probabile etiam videtur cerebri & ejus appendicis membranas frequenter præ dolore contrahi, eâque contractione rem moleſtam in nervos adigi: ubi utrâque ſenſûs & motûs

læsâ facultate rigorem & tremorem fieri credimus. Quâ commotione noxium illud è nervis excussum per lymphæ ductus in massam sanguineam transferri autumamus, ubi novos concitat tumultus, & gravem cruoris effervescentiam, quæ post aliquot horas materiâ febrili per poros diaphoresi judicata sedatur, donec satis novi fomitis in eundem focum denuò aggestum sit.

Typorum differentia ætiologia. Typorum in hisce febribus, & spatii inter periodos differentiam, à diversâ sanguinis crasi pendere putes. In temperamento bilioso, tantum materiæ congeri potest, quantum fermentationi die inclusivè tertio excitandæ sufficiat, at corpore cacochymico ob materiæ fermentativæ uberius demensum cerebro dispensatum oritur quotidianus paroxysmus. E sanguine autem Melancholicò malè ventilato emittitur materia minùs irritativa, & quæ ante diem quartum inclusivè etiam sumptum non commovetur. Sed cum constet particulis magis terrestribus ritu ferri candentis non statim frigescit, sed in longum paroxysmum extenditur.

Feb. castrensis. Ad Endemiorum classem referenda est febris ea, quæ ab aere castrorum sordibus inquinato oriri solet. Et inde oriri liquidò constat, siquidem vidi numerosum exercitum, qui præ imbecillitate ex eâ ægritudine contracta vallum ducere ægrè poterant. Eundem tamen è pestilentibus stativis in castra recentia traductum citò convaluisse, & omnes ferè vegetos, & ad militaria munia intra paucos dies promptos animadverti.

Inter mala ab impuro aere nascentia latissimè dominatur, præsertim in plagis borealibus scor-

 butus,

Scorbutus morbus multiformis.

butus, morbus multiformis: qui Protei instar præter symptomata ista pathognomica à veteribus notata *Scelotyrben*, & *Stomocacen*, plerosque morbos mentitur, aut cum eis complicatur.

Quod ad scorbuti causas attinet quoties ἐπιχωριάζει, (sæpe sporadicus est) præter aerem, victum crassum, præsertim nauticum, tristitiam, aliasque procatarxes agnoscimus. Sed quoties ab aere pendet, videtur, sanguinem ab eodem inertia corrupto, aut miasmatis multis scatente non ritè volatilizari, aut satis subigi: sed principiis activis, à terrestribus particulis, obvolutis, aut à sale emicante depressis in vappam degenerare, aut acescere. Unde obstructiones, & viscerum fermenta deperdita, aut ita deminuta, ut munia sua perperam, aut remissiùs, quàm expediat, exequantur, è sanguine ità disposito pro spiritibus, & generoso liquore, ut in musti, aut Zythi nondum fermentati destillatione solet fieri, aliquod languidum, aut acre in cerebrum extillat. Et proinde cum spirituum defectu sequitur artuum languor, totiusque corporis imbecillitas & interdum atrophia aliæqne affectiones; quas omnes percurrere nimii esset tædii: qui nosse cupit, consulat *Eugalenum Frisium*, qui omnes scorbuti φάσεις descripsit, eo morbo utpote patrio maximè exercitatus. Frisiis enim cum Danis, & omnibus maris *Balthici* accolis nimis familiaris est. In causas *Clariss. Willisius* penitissimè inspexit.

Causæ Scorbuti.

Plica Polonica.

Sarmatis & Germanis nonnullis endemicus.

Sarmatis, & *Germanorum* nonnullis endemia, & perquam molesta est *Plica illa Polonica* dicta; quam nescio an ad scorbuti Symptoma non jure referam. Malum certè horridum, & informè;

me; quo capilli, barbæ pili, quaſi viſco obliti, in cirros inextricabiles concreſcentes Gorgonei capitis ſpeciem præbent; quodque calamitatem auget, ſi tædio deformitatis, & ſqualoris capillitium reſeces, *Iliada* malorum accerſis: quæ *Academiæ Zamoſcienſis* Rector in Epiſtolâ de hoc morbo ad *Patavinos Medicos* data, ita deſcribit. *Ejus deſcriptio.* Magno, inquit, omnium malo, magnoque cruciatu divagatur: Infringit oſſa, luxat artus, vertebras infeſtat, membra conglobat, & retorquet, gibbos efficit. Idem ſcribit: perpaucos hâc peſte correptos convaleſcere; eoſque ſolos, qui capillitio novaculâ intacto, malum pertulerunt; uſque quo flagella illa crinium intricata ſponte deciderint. Quod aliquando accidit. Therapiæ rationali rarò cedit. Empirici nonnulli ſua remedia jactarunt, ſed ſi æque efficacia eſſent, ac prædicantur; cur tot ſpontaneam cirrorum decidentiam miſerè expectare coguntur? Cauſam ejus quod attinet; veriſimile videtur; *Ætiologia.* Materiam Salino Sulphuream in ſanguine propter aerem malignum victumque, pravam cumulatè aggeſtam; quia *διαπνοῆς ἀδήλου* viis præcluſis ſatis excerni nequit (quod in locis frigidis frequenter accidit) recta cum *Capillorum* alimento; quod illic copiosè gignitur, ad eorum radices tendere, & illâc inventâ viâ quâ data porta perpetim, donec abſumpta ſit, ruere & funiculos illos inexplicabiles efficere.

Qui ſi deradantur, obſtructo ab ambiente exitu, materia morbifica in ſanguinem reflua immanes illas excitat tragœdias. Hæc autem ægritudo Poloniæ, ejuſque confiniis non ita propria eſt; quin alibi interdum ſparſim contingat: lo-

cis enim longo intervallo inde dissitis eâ laborantes vidimus.

Elephantiasis Ægyptiis infesta. Ut Plica ista Polonos, Scorbutusque gentes quasdam ad arctum infestat: ita *Elephantiasis Ægypti* incolas propter fœdam quandam aeris malignitatem præcipuè invadit: nec eam unquam aliunde oriri crediderunt Plinius, & Lucretius; quorum hic *lib.* 6. sic scripsit.

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Nascitur Ægypto mediâ neque præterea usquam.

Et aliis. At in eo errat, in aliis enim quibusdam tractibus præsertim calidis subinde gigni observatum est. Malum hoc dirum est, & remediis penè inexpugnabile; cujus ideam à *Celso* descriptam habes

Ejusdem descriptio *lib.* 3°. *cap.* 25°. Totum, inquit, corpus afficitur; ita ut ossa vitiari dicantur. Summæ corporis partes crebras maculas, crebrosque tumores habent. Rubor horum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur. Corpus macrescit; os, suræ, pedes intumescunt. Ubi vetus est morbus, digiti in manibus, pedibusque sub tumore conduntur: febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominem conficit. Hactenus *Celsus*. Pessimum sanè, & ferè indomitum est malum; in quo sanguis, latexque nervosus primo miasmatis maligni contactu misere fœdati, uterque pro benignâ, & miti materiâ partibus nutriendis vitiosam apponunt & non magis laudabilem quàm quæ can-

Ætiologia. cros, aliaq; ulcera cacoethe efficit, unde etiam fœda, & ulcerosa cutis, & totius corporis deformitas.

Alia

Alia subinde sunt vitia horum affinia, & endemia, quæ quoque à temporaria quâdam aeris depravatione dependentia subito emergunt & grassantur, ac tandem mutatâ illâ morbosâ cœli diathesi prorsus disparent. Cujusmodi fuit *Mentagra* illa, quæ *Tiberii Claudii* principatu medio in *Italiam* irrepsisse dicitur: ubi proceribus, & melioris notæ viris maximè infesta, fœminis, & servitiis plerumq; pepercisse perhibetur. Forsan, quod illi gulæ & potui meraciori his magis indulgebant, sub id tempus in *Italiâ* etiam *Gemursa*, & *Carbunculus*, apparuere; at brevi cũ ipso nomine prior extincta est. *Mentagra.* *Gemursa & carbunculus.*

Superiori seculo sudor Anglicus, *Hydropyretos* quibusdam, plerasque vicinas regiones vehementer populatus est, qui A°. 1586. primùm exortus duravit annos 25. & Rhachitis in occidentalibus istius insulæ partibus oriunda longè, lateque in pueros à partu ad trimatum sæviit, & interdum ultra eum. At *Septentrionalis Britanniæ pars* interea fere immunis ab ea perstitit. Denique rarus admodum absolvitur annus in quo non alicubi ex aeris intemperie excitatur aliqua ægritudo, quæ novi morbi appellationem meretur: ut Pleuritis in Italia epidemica, quam *Fracastorius* habet, & febris Hungarica. *Sudor Anglicus.* *Rhachitis.*

At omnia omnium seculorum præter lepram mala superavit diritate, & sui propagatione lues ista Venerea, maxima vagæ libidinis pestis; quæ circa annum salutis 1494. in Obsidione *Neapolis* inter oppugnatores Gallos, quasi furia ab inferis exorta in ultimas terras propagata est; & nisi *Hydrargyroseos*, & aliorum remediorum usus tempestivè innotuisset, omnium fœdissimum detrimentum intulisset. Sed hæc scortatorum calamitas *Lues venerea.* *Emersit Neapoli. An. 1494.*

lamitas ab *Americâ* in *Europam* afferri videtur, ubi endemia est, & ubi maximè præsentanea ejus remedia passim inveniuntur. In reliquo orbe solùm venereo contactu communicatur.

Sed Americâ oriunda erat.

C A P.

CAP. XI.

De Aporrhœis à spiraculis, & locis & rebus singularibus exorientibus.

1. VT latior aeris infectio, quæ amplos terræ tractus, & universas regiones occupat, hominum mores, & diversas formas effingere valet, & morbos endemios inferre: ita sunt terræ quædam spiracula, & aliæ res, plantæ, & animalia; quæ *Mephitim* adeò perniciosam perpetim amittunt; ut quotquot intra activitatis ejus sphæram deprehendantur, in summo vitæ discrimine versentur.

Nam aut spiritus animales maligno effluviorum afflatu, ceu glutine quodam volatili inviscati protinus ab opere motuque vitali cessant, & sese amplius nequeunt expandere: aut materiâ efferâ & nimis elasticâ in cerebrum per processus mamillares admissâ motus quidam eorum irrationales concientur; hâc ratione fiunt aliquando *fanatici*, illâ *attoniti*. *Spiritus exhalationibus nonnunquam inviscantur. Interdum fiunt nimis elastici.*

Est specus in agro *Puteolano*, quam *Charonti* olim dicârunt, & etiamnum ejusdem spelunca vulgo dicitur in quam quisquis descendit, *alterum habet pedem in cymbâ Charontis*: qui verò in illâ ultra horæ momentum moratur, conscendens *Acheronta* irremeabilem transfretat. Itaque ejus accolæ advenis naturam loci pestilentem indagantibus officium præstantes in cane, aliove vili animante periculum faciunt, qui in specum dimissus repentè *Specus Charontis admodum pestilens.*

ἄφωνος

ἄφωνος quasi cerebro telis trajecto expirat: eundem tamen utut emortuus videatur, si inde retractum sine morâ in vicinum lacum injicias; denuò ad se redeuntem protinus exilire videbis: memoremque injuriæ, quam primum per debilitatem poterit, aufugere: nam spiritibus Sulphure narcotico prius impeditis, aquæ nitrosæ beneficio, novus conciliatur motus, & inde vitæ *redingratio*.

Avernus in Campania. Nec crypta ista *Charontis* sola ob auram mortiferam infamis est. *Avernum* enim vicinum inferorum limen credidit antiquitas, & pestilentes *Amsancti* valles apud *Hirpinos* in eàdem Italiâ, ob eandem rem olim non meliùs audierunt.

Os Plutonium. *Straboque* meminit *oris Plutonii*: Puteus est in collis *Hierapoli* imminentis fastigio, semijugeri magnitudine, qui nebulas tam pestilentes exhalat; ut omnia animalia septum ejus ingressa protinus extinguat, cum vicinus aer sit innoxius.

Exhalationes fodinarum lethales. In mineralium etiam fodinis tetra aliquando exhalatio exoritur; quæ operas, nisi in liberum aerem mature se foràs proripiant, citò jugulat. Qui attonitus eoque malo penè confectus extrahitur; si sub dio facie, naribusque in lacunam terræ recens effossam demissis pronus collocetur, plerumque in vitam revocatur, eàdem ratione quâ canes modò dictos revixisse diximus.

Exhalationes è terræ Chasmatis. Nec spiritus mitiores istis, quos *Charoneia, aut Plutonia* emittunt, ex hiatibus terræ motu apertis interdum exeunt: effectusque mortalibus terribiles ab istiusmodi primordiis subinde oriuntur, & mala quædam; quæ mantissæ vice post terræ motum epidemicè grassantur.

Histor. pestilensis vaporis. Posse etiam lethales aporrhœas sine telluris hiatu, aut concussione subitò oriri testatur annalium

lium noſtrorum autoritas, nec memoria rei penitus intercidit *Oxoniæ* urbe alioquin ſaluberrimâ; anno *Chriſtianæ Epoches* 1572. in Conventu juridico è populo, qui in Prætorio aderant oborto peſtilenti vapore, pluſquam trecenti homines, & uterque judex cum aſſeſſoribus, & multis nobilibus ſubitò correpti inter triduum extincti ſunt.

Graves item ſcriptores prodiderunt Conſimilem vaporem beſtiolas terrâ latentes talpas, & ſerpentes è cubilibus in lucem exegiſſe; ubi acervatim perierunt nec aliis animantibus contagii limites ingreſſis parcitum eſt. Quin peſtilens vapor volucres in aere, piſceſque in aquà ſuâ ſuſtulit. Et forſan non aliuſmodi materiæ morbi novi qui nonnunquam tanquam furiæ ab inferis improviſo emergunt, ortum ſuum debent.

2. Infectionibus, quarum modò memini, mitior erat illa, quæ *Coretan*, & capras ejus exercuit; Delphicique oraculi præſtigiis dedit originem. Hiſtoria, niſi mavis fabulam dici, extat *Diodori Bibbliothe ces. lib.* 16. *De Coretæ Capris & Delphici oraculi initio. De fanaticis.*

Coretas quidam caprarius, animadverſo capras, quas prope locum, ubi poſtea *Phœbi Delphici adytum* conſtructum fuit, paſcebat, in hiatum quendam deſpectantes protiuus laſciviùs ſolito exultare; & ipſe deſpexit, quo facto ἄσθματι δαιμονίῳ correptus ſtatim vaticinari cœpit Hujus rei fama percrebeſcens complures novitate rei motos ad experimentum ejus adduxit. Inde celebritatis iſtius oraculi prima occaſio.

Ex illo credidit ſuperſtitioſa antiquitas; *Phœbadas* ſpiritûs ex *Apollinis tripode* emiſſi afflatu tactas futura certiſſimè prædicere. Veriſimile eſt *Oraculi occaſio.*

Dæmona

Dæmona arreptâ ab his initiis fallendi occaſione, poſteà pleroſque mortalium, quotquot ſaniore *Theologiâ* nondum erant imbuti, in oraculi ſui admirationem pellexiſſe, & theoros *Amphibologiâ*, aut aliâ ratione quâ potuit, donec fraus detecta eſſet, ſemper luſiſſe. Credimus tamen *Pythias* ſpiritu plenas furere, aut convelli potuiſſe; at futura non magis inde ſcire; quam ſi vino eſſent inebriatæ.

Phœbades furebant, at futura non ſciverunt.

Cicero quidem lib. 2°. de Divinatione, cenſet evanuiſſe vetuſtate vim loci; unde halitus iſte ſurgeret. at reverà àpud homines toties deceptos defecit authoritas quod jampridem obſervaverat *Demoſthenes*, qui dixerat προμαντιν φιλιππίζειν.

Antri Trophonii.

Diverſâ ab his ratione afficiebantur, qui in antro *Trophonii* olim vaticinati erant, illi enim non furere, ſed melancholiâ, & mœrore perpetuò poſt numinis afflatum affligi ferebantur talitèr affectis aura maligna ſpiritus animales indelebili labe offuſcare viſa eſt; at non multum commovere.

Ab aere infecto poſſe fieri Entheos.

Quidni etiam credamus *Entheorum* ſectas cujuſmodi erant *flagellantes Germaniæ*, *Illuminati Hiſpaniæ, & de bacchantes, trepidanteſque in Angliâ*, quoad ortum ab aeris diatheſi aliquatenus pendere: alios enim *morbos cephalicos*, ut plurimum ad anni tropas exacerbari, aut remitti cernimus. Utcunque oriuntur, magiſtratûs meliùs, quàm medici operâ curantur.

Chorea Sti Viti.

Ex eodem fonte manare poteſt *Chorea illa Sancti Viti*: quæ eſt σπασμώδης quædam, & ineluctabilis ſaltandi libido: quæ quoſdam homines in *Germaniâ* invadit, & perinde afficit, ac morſus

sus *Phalangii*, quod *Tarantulam vulgò* vocant, *Appulos* solet, & *Calabros* afficere.

De aurâ petrificante. De alio prodigioso exhalationum effectu meminerunt Historici; quarum vi plantæ, & animalia non modò humoribus, & spiritibus irretitis extincta sunt, sed tota eorum corpora à spiritûs cujusdam occursu obrigescentia lapidescere produntur.

Historia lithiaseos prodigiosa. *Aventinus in Hist. Bavariæ lib.* 7°. scribit: Plusquam 50 rusticos, cum pecude à spiritu salino in terræ motu exorto suffocatos, & in statuas salinas at durabilis materiæ transmutatos: seque cum *Cancellario Austriæ* hominum pecorisque simulacra vidisse. *Alia ejusmodi.* Legi etiam quosdam eandem metamorphosin in *Chyle*, *Americæ antarcticæ* regione subiisse. Imo *Helmontius* in libri de lithiasi cap. 1°. scripsit totum exercitum cum jumentis, & impedimentis consimili aurâ in saxeas imagines transformatum. Hocque accidisse circa An. 1320. in *Russiæ*, *&* *Tartariæ* confiniis, non procul à palude *Kytaya* in altitudine gradum 64.

Lapidiscentiæ Ætiologia. In lapidiscentiæ ætiologiâ (rejectis eorum placitis, qui frigus, & calorem *Lithiasios* causas statuerunt) Chymici omnem soliditatem strictæ salium cum terrâ unioni attribuunt; sive ea arte fiat, ut in vitrificatione, sive naturâ, ubi seminis alicujus aura plastica fructuum, aut animantium ossa, vel testas lapideas: imo ipsos lapides, & metalla pro ideâ sibi à conditore ab origine impressa effingit. Tales mutationes, si quando factæ sunt, à salinis corpusculis summè penetrantibus, prout in congelatione à frigore vulgò fit, factæ fuisse videntur.

Quidam

Quidam id ſeminalis ſaxorum auræ afflatu fieri autumant, aut ſine adjuvantium cauſarum mentione *miraculum pronunciant* cum reverà *Coralii*, aut quævis alia petrificatio, vel maxime naturalis miraculo eſſet; niſi rei familiaritas admirationem elevaret.

De aurâ corroſivâ.

4. Quamquam ſal corpuſculorum validiſſimum ſit ferrumen & ſoliditatis, ut volunt, πρῶτον δεκτικὸν, idem tamen ut minima, vi ignis, aut ſponte naturæ redactus ſit notum rerum ſolvens & formâ liquoris coacervatus metallorum corpora promptè ſubiens compages reſerat, & in minutias diſtrahit. In aere etiam diſſeminatus idem facere non deſiſtit; licèt lentiùs, & ſenſim peragat. In *Tercerâ* itaque ubi Geographi ultimum occidentis limitem jam ponunt & nonnullis *Americæ* inſulis, ea eſt aeris corroſiva temperies propter corpuſcula ſalina, quæ ei copioſè inſunt, ut ferramenta quæcunque ei ſunt expoſita citò corrumpat. Hoc inſtrumento maximè efficaci in deſtruendis veterum monumentis tempus ſolet uti.

Fumi ſunt periculoſi qui à mineralibus fiunt.

5. Animantium vitæ ſæpè non minùs noxii, quâm memoratæ exhalationes ſunt, fumi aliæve Aporrhœæ, quæ a mineralibus, & aliis concretis igni fuſis, vel crematis cieri poſſunt. Ab *arſenico*, *ſandarachâ*, *cobalto*, & aliis id genus mineralibus malignis igni tortis aura venenata, vitæque inimica expectanda eſt, vis eorum in farinâ quâdam volatili conſtat, quâ privata pro deleteriis remedia fiunt.

Halitus à metallis mali præcipuè à plumbo.

A Metallis item igni fuſis excitantur halitus non admodum benigni; præcipuè à plumbo; qui cerebro, & nervoſo generi infeſti artuum tremores,

res, & paralysin, & interdum alios morbos fusoribus inducunt. Imo ea est *Saturninæ anathymiaseos* vis, ut agiles Mercurii partes sibi me valeat ligare. Hydrargyros enim supra plumbum fusum aliquandiu suspensus in substantiam solidam argenti similem ejus vi cogitur.

Mercurius verò aurifabris, & aliis metallurgis qui eo multùm utuntur, vaporem adeò exitialem exhalat; ut *Johanni Fernelio* ejus usum in luis Veneriæ curatione improbandi inde præcipuam dederit ansam. *Aut Mercurio.*

Nec à metallis tantum fusis, sed ab eisdem in principiis solutis, & in terrâ adhuc latentibus oriuntur aporrhœæ, quæ aerem vitalem graviter inquinant.

6. In rerum deflagratione partes materiæ combustæ constituentes præter sal fixum & terram sublimatæ latè in aere spatiantur, nisi quæ ustrinæ parietibus, aut alibi impingentes in fuliginem concrescant. Fumi nonnunquam malignitate corpusculorum, quæ unà oriuntur, nocent. Sed, qui à materia quantumvis benignâ fiunt, animalia in eis diu detenta suffocare valent: eo mortis genere ab *Alexandro Severo* multatus est *Thurinus* insignis inter aulicos fumi venditor. Fumus plerumque concreti naturam sequitur non tamen eundem malignitatis gtadum semper obtinet quod particulæ solutæ non eandem vim habent, quam unitæ habuerunt. *Quomodo fit fuligo.*

Carbones factitii in conclavi arctè clauso accensi assidentes stupore quodam improvisò correptos sæpe halitu extinxerunt. *Fumus carbonum in clauso loco lethalis.*

Quippe isti carbones primùm igniti & subitò suffocatione extincti multum sulphuris narcotici

in

in ſe retinent: quod ab igni denuò liberatum locum opplens auram vitalem adeò inficit, ut nec cerebrum, nec pulmones ſua munia exequantur idem ferè à foſſilibus metuendum: quod *Batavi* in *Novâ Zemblâ* experti ſunt, qui ibi in hybernaculo ad ignem è carbonibus foſſilibus accenſum ſedentes ſuffocati periiſſent, niſi aerem ſubitò admiſiſſent. Ellychnii fumantis graveolentia gravidis quibuſdam immaturum partum valuit excutere.

De fumis artificialibus perniciofis. *Fioravantus* oleum deſcripſit, quod (inquit) empyreumate fætido homines interimit. Sed non auſim credere; quòd rerum, quas dixit compoſitionem ingredi, innocentiam ex ſingularum anatome, nôram.

Poſſe tamen excitari fumum, qui homines perinde, ac ſulphur accenſum inſecta lædat, æquum eſt credere, ſed prodere nefas nè improbi abutantur.

Oſtendâ Flandriæ ab *Alberto Auſtriaco* obſeſſâ inventa eſt ratio pulverem pyrium, quo inſtrumenta bellica pyrobola dicta *Granata* inferciuntur, ità medicandi, ut eo afflati ſcotomiam aut epilepſiam paterentur.

Platonici Dæmonas fumis affici aſſerunt. Certè egregiè deliravit *Porphyrius*; aliique *Platonici*, quotquot prodiderunt; Dæmonas aereos ſuffumigationibus quibuſdam allici, & tonitrua, aut procellas eiſdem concieri. *Magici* cor chamæleontis in ſummis tegulis uſtum hoc præſtare affirmant: ſit fides penes authores.

Fumus ceſpitum phthiſicis prodeſt. Obſervatione dignius eſt, & ſcitu magis utile; quod fumus ceſpitis bituminoſi ſulphureus phthiſi laborantibus plurimum conducit. Regiones igitur quibus frequenter comburitur à tabe

be pulmonari ferè immunes esse observantur.

Fumi fœtidi hystericis & Arsenici fumus tabidis ex ulceroso pulmone confert.

Fœtidus quoque plumarum, aut ungularum fumus suffocationi Hystericæ, aliisq; morbis spasmodeis prodest. Sed magis mirum est at verum: quod suffumigium ex *auripigmento* ritè præparatum pulmonum ulcere laborantibus & penè deploratis sæpe mira præstat. Hoc Sulphuri cuius copia in eo magna hospitatur ascribas. Sulphur enim vulgò, at non ineptè Balsamum pulmonum dicitur.

De odoribus infesti, qui à rebus putrescentibus & fermentescentibus oriuntur. Unde odores oriuntur.

6. In rerum solutione à putredine factâ, & fermentatione accidit magna partium decessio: & inde oriuntur varii odores, qui pro corpusculorum figuris, & motu, animantium nares & spiritus diversimode afficiunt.

Quàm latè ambientem afficiant. Quantum nonnunquam nocent.

Quàm latè effluvia à corpore putrescente decedentia ambientem inficiant, animalium carnivororum sagacitas docet, quæ è longinquo in prædas odore solo indice rectà feruntur. Quidam asseruerunt Vultures cadaverum, quibus tantùm victitant; strages quingentis millibus passuum distantes odorari. Historici etiam narrant; Aquilas ex *Italiâ in Africam* ad strages transvolasse cadaverum odore invitatas. Quantum hominibus nocumenti istiusmodi inquinamenta intulerunt abundè testantur historiæ.

Scribit *Augustinus in lib.* 3°. *de civitate Dei. ca.* 31. & *Orosius lib.* 5°. *cap.* 11°. Quòd in *Numidiâ* à Locustis mari demersis, & inde à fluctibus in litus rejectis pestilentia orta est, quæ octingenta hominum millia perdidit, & *Uticæ*, & *Carthagine* exercitum 30 millium tyronum ad internecionem delevit.

Literis etiam mandatur à *Rondeletio* Putridum Physeteris cadaver ad litus appulsum vicinas Provincias dirâ peste infecisse. Et ab hominum bello interemptorum strage pestilentiales morbos imo veram pestem subinde excitatam accepimus.

Materiâ Sulphureâ, & fœtidâ, è carne putri in cerebrum per nares, & sanguinem per pulmones, illapsâ, in utroque humore, sanguine, & succo nervoso graves concitantur tumultus.

Fætores Bruta minus afficiunt. Fœdi tamen istiusmodi odores bruta animalia minùs afficiunt, imo canibus grati sunt: putridam enim carnem libentiùs, quàm integram, & recentem vorant. Hoc fit; quod effluvia aculeata, quæ fibras, nervosque olfactorios in homine, animali spirituoso, teneros graviùs lancinant, & molestas spirituum ἀταξίας cient: organa odoratûs in brutis duriora leviter tantùm titillant. *Ratio ejus.* Lævia verò corpuscula, quæ à suaveolentibus affluunt, humana sensoria blandè solicitant, robustas brutorum fibras nil movent, licèt ista, eorum, quæ ipsorum organis analoga sunt, odoratu præpollent.

Innumeræ sunt res, quæ putrefactæ, aut fermentatæ, corpuscula Sulphurea, adeò aculeata exhalant: ut semper cum periculo, & nunquam sine molestiâ in sensoria admitti queant sed utcunque gravis sit cadaverum putredo, ei plurima mineralium empyreumata & fermentationes malitiâ non cedunt.

E corporib. viventibus effluvia omnimoda emanant. 7. In rerum putrescentium solutione ferè emanant effluvia fætida. At à corporibus animalium, & plantarum viventibus, & integris ma-

materia volatilis omnimodæ indolis abundè & perpetim in ambientem exit.

Ex utrâque classe quædam suavem, & fragrantem odorem exhalant, alia tetrum & ingratum: nonnulla sine ullà sensûs affectione ad spiritus & humores pervadunt: in quibus sæpe malitiam suam exercent. Ejusmodi sunt venena quædam subtilia; & semina morborum contagiosa.

Aromata Balsama.

8. Nobilissima odoramenta, *Balsama*, & *Aromata Arabia*, *India*, aliæque calidæ regiones proferunt. Proximè post illa odore sunt Herbarum, arborumque quarundam flosculi. Qui in temperatis plagis ferè odoratiores nascuntur; quorum effluvia quantum spatium occupant, inde intelligitur: quòd ubi *Rosmarimus*, flores aurantiorum, aliæve odoratæ plantæ copiosè proveniunt, earum odores à navigantibus longiùs sentiuntur, quàm litus potest conspici: & tales, quia suavi halitu sensoria nostra afficiunt, ideo spiritus oblectant, aut eosdem languescentes resuscitant.

Flosculi.

Plantæ fœtidæ.

9. E plantis sunt non paucæ, quæ odores, nec gratos nec salubres emittunt. Inter quas *Anagyris* in proverbium ob graveolentiam abiit: licèt odoris molestiâ potiùs peccat, quàm periculo. Nec *Othone*, etsi florum pulchritudine oculos delectet, naribus jucundior est.

Plantæ umbræ exitiales. Taxus.

Taxus verò omnium ferè calculis insalubritatis damnatur: quam *Plinius* prodit tam præsentis mortis in *Arcadiâ* esse: ut siquis sub eâ dormiat, aut cibum capiat, brevi moriatur. Quod tamen non nisi arbore florere incipiente, acci-

dere *Plutarchus* affirmat. Nos quoque ejus, quod *Lobelius* tradit, oculati teſtes fuimus: nempe homines in *Angliâ* ſub taxi umbrâ impunè dormiviſſe, pueroſque ſine incommodo baccas eſitâſſe. Mulierem quidem novimus, quæ foliis taxi mortem ſibi conſcivit: quod *Cæſar* etiam lib. 6. de bello Gal. de *Catavulco Eburonum rege* narrat.

Juglans. *Juglans* arbor aliàs ſalubris ob umbram noxiam malè audit. *Grevinus* lib. 2. de venenis narrat: quod ſibi in æſtivis caloribus ſub juglandis umbrâ dormienti, membra univerſa refrigerata ſunt & cephalæam inde ortam ſex totos dies durâſſe. Mulier etiam ruſtica, (ut refert *Marcellus Donatus*) ſub nuce quieſcens à dæmone opprimi & flagris cædi ſibi viſa eſt: inde experrecta & terrore perculſa domum rediit febricitans; at tandem decidentibus capillis convaluit.

In multis *Indiæ*, & *Americæ* regionibus naſcuntur arbores umbrâ, aut reverâ halitu peſtilenti exitiales: ex harum ſuccis incolæ toxicon, quo ſagittæ venenatæ illinuntur, parant. *Hiſpanis* dicuntur *Manchionellæ*.

Nerium. *Nerium* ut omnibus modis adhibitum intus deleterium eſt; ita umbrâ animalibus cunctis exitiale. *Fraxini* autem umbra ſerpentibus ſolis inviſa putatur, *Juniperi* hominibus.

Fraxini Juniperi umbræ.

In his caſibus umbras vulgò cauſamur, & qualitates accidentales, quæ quidem proximæ nihilo ſunt, ut umbra tantum privatio eſt. Cauſa igitur mali effluviis ab arbore perpetuò emanantibus aſcribenda. Aliæ igitur plantæ ſine umbrâ nocent. *Cardanus* ſcripſit, aerem à fabis florentibus viti-

ari

ari. Levinus Lemnius historiam narrat de viatoribus, qui in Belgio fabis florentibus per agros iter facientes omnes insanivere. *Lev. de nat. Miracul.* Idem herbæ meminit in *Hispaniolâ* crescentis, quæ halitu solo homines inebriat, aut reddit fanaticos.

Fabæ aerê vitiant.

Idem Levinus Lemnius narrat se Mandragoræ pomis in museo jacentibus somnolentum factum. Et aliæ plantæ, pro singularum naturâ aerem diversimodè afficiunt. *Colocynthis* solo odore aliquando purgat.

Mandragora.

Sed illud mirum est; odores jucundos, qui plerosque recreant, nonnullis exitio fuisse. Novi aliquos, qui *Idiosyncrasiâ* ad id dispositi flores fragrantissimos ferre non potuerunt; graveolentes non item. Sunt quos assa fœtida magis omnibus odoramentis delectat.

Suaves odores nonnullos lædunt.

Idem accidit plerisque hystericis, *Scaliger* exercit. 153. sect. 10. de Cardinale meminit; qui mero rosarum odore extinctus est. Attamen qui fœtoribus teterrimis assueti sunt consuetudine diuturnâ callum sensoriis obducente eos facilè ferunt, aut non sentiunt.

Fascinationes malevolorum visione tantùm fieri vulgò putantur. De *Basilisco* etiam, & *catoblepâ* ferebatur, utrosque visu interimere. Imo *Basiliscum* etiam sibilo, & sono omnia alia animalia summovere, aut extinguere, & inde vacuâ arenâ regnare. Sed hujusmodi effectus, siqui sunt, halitibus, quos respiratione emittunt, aut materiæ tenuis per cutis spiramenta exeuntis potiùs effluviis ascribendi sunt; cujus materiæ copiam longè majorem, quàm vulgò creditur, à viventium corporibus effluere probat *Sanctorius Medicina*

De effluviis quæ ab animantibus: Fascinatio visione tantum non fit. Basiliscus Catoblepæ halitu non aspectu tantum nocent.

dicina Statica. Imo liquidò constat, *Densam effluviorum halo quadam* animalia perpetuò circundare. Unde inter bestias *mus ponticus*, Zibeta, Panthera & fera, quæ moschum profert, semper suavissimè olent. Hoc *Aristot.* non satis intellexit: quærit enim problem. Sect. 13. Cur animantium nullum præter pantheram suaviter olet. Alia è contra nunquam non fœtent: cujusmodi sunt *Hircus, Ictis Sylvestris*, & aliæ: è quibus *Birataca*, quæ *martes est Brasiliensis*, odorem adeo tetrum emittit: ut eo venatores, & etiam canes subinde periclitentur, & nonnunquam pereant.

Quædam feræ semper benè olent.

Aliæ semper malè

In volucrum classe *anates Afræ* moschum olent: & è piscibus *Thymallus* thymum, & pisciculus, qui *Gallis* à colore Margaritæ *Perlane* dicitur, Anglis ab odore, *a smelt*, violas redolent. Torpedo, licèt ferè inodora sit, vim narcoticam ultra nares jaculata piscatorum spiritus irretit.

Volucres item & pisces.

Inter insecta sunt muscæ odoratæ, & *cimices* & Græcè σίλφαι βδέλσαι *Gal. lib.* 5. κατὰ τόπους *Blattæ* teterrimè olentes. Et reverà cunctis animalibus suus odor est: unde canes feras, quæ dudum præterierant, sagaciter investigant, & Heros absentes inveniunt.

Insecta etiam.

Effluvia humani corporis secundum naturam constituti, homini insensilia sunt, & quod de *Alexandri magni* corpore semper suavitèr olente à *Plutarcho* narratur, ab assentatoribus fictum, & inde credulis obtrusum suspicamur. Hominibus verò malè olere plus nimio frequens est: nam hircus, pedor, & animæ fætor multos divexant.

Humanum corpus s. naturam constitutū nil olet.

Sed

Sed monſtri ſimile eſt, quod extat in *Epiſt. Med. Gregor. Horſtii. lib.* 2. de *moniali*, quæ ſemper cadaver putreſcens oluit. *Hiſtor.*

CAP. XII.

De Contagio.

1. TAndem omnium, quæ à viventium corporibus effluunt; illud graviſſimum; quod ſui ſimilis productionum, morbos, quorum continet ſemina, in alia corpora vicina diſpergit, quæ tamen non alibi, quàm in ſuâ ſolius ſpecie radices agunt, fructus adeò funeſtos producunt, perinde ac ſurculi, oculive niſi arbori ſui generis, aut cognatæ inſerantur, minimè proficiunt. Hinc hominum peſtis bruta non afficit. Equorum verò lues equos, boum boves, & ſuum ſuillum genus tantùm inficit in alienum non tranſit. *Contagiũ non niſi in ſuâ ſpecie radices agit.*

Nam corpuſcula λοιμώδη ab animæ corporeæ partibus diſcrepantia, quòd ejus meatibus non ritè quadrant, ſtatim rejiciuntur: ſin homogenea ſint, ob ὁμοιομερεῖαν, & neceſſitudinem quandam in intimum ſpirituum penetrale admittuntur ubi hoſpites ſuos adorta ſicariorum inſtar aut jugulant aut ægrè expelluntur: & fortaſſe Inde eſt, quod contagia hominum conſanguineos citiùs, quàm alienos ferè corripiunt. *Ætiologia.*

Contagia sanguine propinquos facilè afficiunt. Circumfertur, & vulgò creditur: sanguine propinquos, quantumvis loco distantes eisdem morbis contagiosis sæpe ob naturæ cognationem simul affici. Factum aliquando accidisse concedimus: sed de causâ hærebimus; donec ratio sympathiæ planiùs constiterit.

Per effluentias, inter longo intervallo dissitos, communicari non potest. Siquis ab efficaciâ *hoplochrismatis* aut *pulveris sympathetici Vitrioli Romani Sole calcinati* hoc confirmari contendit, precario id facit: nam prædicatam ab *Hermeticis* efficaciam eis inesse non facile probatur: quòd experimenta plerosque fefellerunt; & causas physicas, quæ menti veritatem indaganti satisfaciant, adhuc nemo protulit. *De Hoplochrismatis & pulv: sympathetici efficaciâ ambigitur.*

Contagii ortus. 2. Primarium pestis, variolarum, aut enthymatum ortum quòd attinet; Videntur, ubi per aeris constitutionem licet, ab immani corruptione humorum in corpore aliquo natâ primum oriri quæ in alio congeneri similem putredinem excitare valet, eo ritu, quo è minimâ scintillâ ingens incendium sæpe erumpit, lateque vagatur. Causa igitur contagii nascentis conjuncta est venenum sanguini, aut humori qui spiritibus, vehiculo est, à procatarxi aliquâ, putà aere infecto, aut victu pravo innatum. Quippe materia vitiosa in istis copiosè congesta putredinem pestilentialem ciet; ut fænum non ritè siccatum, nisi tempestivè ventiletur, ignem concipit. Sunt, qui vehementia animi pathemata inter morbi contagiosi causas procatarcticas numerant, à quibus corruptio pestilentialis potest excitari; non secus ac calor seu ignis à lignorum attritu, corporum duorum collisione, aut aquæ stygiæ

in metalla actione oritur.

3. Quoad natales pestis hominum, austri, aut orientis plerumque soboles est, unde, inquit *Plinius* in occasum procedit. In septentrione rariùs nascitur. Semina verò contagii commercio disseminata non mitiùs illic, quàm alibi grassantur: sunt tamen loci ad austrum siti, qui hunc morbum non nôrunt, quòd de *Indiâ Bonzius* affirmat. Variolarum fuit apud medicos veteres adeò altum silentium, ut meritò ambigatur an multo ante *Arabum* tempora sint ortæ, quorum scriptores earum primùm meminerunt. Hic morbus in *Græciâ*, aut *Asiâ* raro sponte oritur, aut contagione latè spargitur, & siquos corripit benigniùs, quam apud nos tractat. Et pestis licèt his plagis rariùs oriatur, tamen huc delata in aere alioqui saluberrimo, & loco ab aliis morbis immunissimo non minùs quam alibi sævit; at in eos tantùm qui μιασμάτων pestilentialium limites ingrediuntur.

Natales pestis.

De variolis apud veteres nulla mentio.

Arabes primum earum meminerunt.

Variolæ ad austrum mitiores.

Anno *Æræ Christianæ* 1665 è municipio quo degebam, plusquàm mille homines, tertia pars incolarum peste ingruenti territi in rustica prædia, & casas secesserunt. Qui, peste sedatâ, omnes præter virum apoplecticum, anum nonagenariam, & puerperam domum sunt sani reversi: manifesto, certoque indicio morbum illum à singulorum contagio, non à communi aeris vitalis labe pependisse: nam intra oppidum plusquam sexcenti homines periverunt.

Histor.

Prudentes igitur *Itali, Siculique* quorum legibus, venientibus à loco infecto peste aut suspecto ante *quadraginta dierum probationem* commercio omni cum civibus interdici solet. E contra

Itali & Siculi pestis suspectis commercium negant.

Mahumedis

Turcæ non item. *Mahumedis* aſſeclæ nulla ſuâ actione fatum poſſe mutari *Stoicè* aſſerentes, & contagium ideo non vitantes ferè obſtinatè, miſereque pereunt.

His ſimiles ſunt nonnulli popularium noſtrorum. 4. Ab hoc *Turciſmo* non diverſa eſt veſana aliquorum inter nos opinio, qui contagii peſtilentiales vires negant, ſinguloſque, quotquot peſte correpti ſunt cœlitus immeditatè feriri contendunt. Divina ſapientia ordinem naturæ inſtituit, ſecundùm quem ferè procedit. Et cùm ratio, quâ operatur planiſſimè patet, aliam ei affingere, numenque ἀπὸ μηχανῆς adhibere, abſurdum eſt. Liquidò enim conſtat, morbos hominum, pecorumve peſtilentiales rarò niſi per ſemina νοζερὰ propagari. At non ſine peculiari quadam aeris diatheſi, (quæ tamen eos ſola non generat) intenduntur. Eàque cœli diatheſi in melius mutatâ, peſtis aut remittitur, aut evaneſcit. *Cœli conditio contagium promovet aut impedit.* Sic ſiccâ Cœli conſtitutio incendium promovet: in humidâ verò tempeſtate, linteum ſemiuſtulatum, pulviſve pyrius non facilè ignem concipit, & exinde peſtis *Cairi* utcunque priùs ſæviat, ſub incrementum *Nili* ſubitò diſparet; at Autumno ferè recrudeſcit.

An aer vitalis à ſiderum influentiis inficiatur. 5. Poſt diſquiſitionem de aere à rebus terreſtribus inquinato, conſideremus, quo modo ab aſtrorum influxu idem afficiatur. Fatidici *Aſtrologi*, ex quotidiano planetarum motu, varioque ad ſe invicem aſpectu à cometis, parheliis aliiſve id genus apparentiis peſtes, & alios morbos, imo bella, incendia, principum, & magnatum interitus portendi & prædici poſſe gloriantur. Et hæc placita tanquam è tripode dicta præter imperitum vulgus, credunt nonnulli, qui ſibi

& aliis sapere videntur. Alii verò non minoris sagacitatis hujusmodi prædictiones, quæ non alio fundamento, quàm *Albumansoris*, aut aliorum *Arabum* placitis nituntur, omnino rejiciunt. Nullum enim causarum, quas obtendunt cum effectis nexum necessarium vident; nec intelligi potest; quo pacto causa adeo communis in res, & personas particulares determinatè, & *electivè* agat. *Aer à stellis fixis non afficitur.*

Corpora sublunaria, à solis, (qui motûs vitalis primarium instrumentum est) illuminatione affici, Æstumque maris luminis lunaris dispensationem sequi cernimus. Alias verò planetarum, aut fixarum stellarum extra *suos* vortices, influentias debiles, occultas, reverâ nullas arbitramur. *Platonici* quidem influentias admittunt, sed cum in Cœlis nihil sit nostræ naturæ adversum, omnino benignas esse putant. Sed verendum est nè, si quid agant, ex accidente etiam noceant. Calore solari nihil est benignius: ab eodem tamen, si modum excesserit, arbores sideratas, & animalia extincta videas.

6. Morbos & alias clades ab angelis bonis Dei jussu, & ab improbis ejusdem permissu præter naturam excitatos sacræ literæ testantur: sed cum boni tutelares sint, & neminem injussi lædant, iniquum est opinari, arbitrium aerem vitalem inficiendi, & tanta mala mortalibus inferendi esse penes malos. Historia igitur, quam *Cœlius* narrat *lib.* 2. *cap.* 8. *de peste Constantinopoli* occursu dæmonum factâ apud me fidem non habet. Spectra, inquit, humanâ specie se miseris ingesserunt, qui exinde plagas sibi incussas opinabantur, & febri correpti protinus delirârunt; at morbus non fuit contagiosus. *An aer vitalis possit à dæmonibus aeris vitiari, & inde pestes aliive morbi ciri. Dæmones aerii nequeunt aerem contaminare.*

Hoc

Nec morbos ciere.

Hoc credi potest; sed illud non item; nempe ægros à spectris cæsos: non enim à *Phantasmatis*, sed singuli à propriâ phantasiâ læsi *erant*, quam facultatem vis veneni primùm invasit, unde postea in spiritus, & humores diffusa est, sic qui *Hyoscyami* radices edernnt, loris, aut virgis cæsi sibi videntur: & supra narratum, est mulierem, quæ sub juglande quieverat, à dæmone flagris cæsam sibi visam. Idem ab aliis venenis nonnunquam contingit. Poteſtque visioni aliâ de causâ debilitatæ aliquod simile accidere. *Aristoteles meteorologicon. lib.* 3. *cap.* 4. meminit cujusdam cui dum ambulabat, simulacrum adversa fronte procedere videbatur quod accidebat (inquit) quod visio ipso reflectebatur.

De aere præ ventilationis defectu putrescente & Elatere læso.

Aer à ventilatione prohibitus pestilens evadere potest.

Historia de peste ab arca diu clausâ subito emersâ.

Varro.

Mephitic. extincti.

7. Superest adhuc nocentissima aeris affectio quam sine ullâ materiæ adventitiæ accessione, solo motûs defectu sponte contrahit. Arctè enim conclusus, & ab omni ventilatione diu prohibitus tandem adeo pestilens evadit, ut incautè adeuntes momento jugulet. Multi igitur puteos, speculve diu occlusos aperiendo protinus expirant, aurâ venenatâ prorumpente suffocati. Narrat *Julius Capitolinus* Auram ex arcâ quâdam vetustâ temere reclusâ tam pestiferam erupisse; ut non solùm viciniam, sed regiones procul distantes latè peste inficeret. Potuerunt pestilentiæ semina in vestibus, aut alio fomite diu latere: sed unde Granariis, quæ siros dicunt, tanta malitia? In istis quædam gentes frumenta loco sicco deffossa diu asservant: sed quamprimum recludantur, aura admodum periculosa temerè appropinquantes invadit. Duos item viros, qui in navis bellicæ sentinam descenderant, mephite pesti-

pestilenti suffocatos accepi.

8. Unde liquet, aerem inerti stagnatione, sine alieno miasmate, posse fieri vitæ inutilem; imo exitialem. Sive quod humoris particulæ, aut aliæ, quæ in eo hospitantur, ob motum prohibitum necessariò putrescentes novas figuras pulmonum poris Improportionatas acquirant: aut forsan quod vigorem elasticum, ut lamina chalybea positu syntatico diu detenta, inertiâ diutinâ amittat, & inspiratus pro vividâ agitatione humores & spiritus inviscando sistat. Ita in magnis concionibus in ædibus minùs laxis feminæ,& viri nonnunquam imbecillioris constitutionis ob nitrum aereum, quod elateri esset, crebra respiratione deminutum, deficiunt, aut cœtu exeuntes recentis auræ refocillationem sub dio quærere coguntur. In convallibus depressis & locis umbrosis, aer sæpe noxius est, quod venti salubres montium, aut sylvarum objectu arcentur: sylvis tamen succisis & aliis obstaculis remotis corrigi possunt. *Ratio.* *Aer in convallibus noxius.*

Tandem tempestates maximè tranquillæ (quas *Malacias* & *νηνεμίας* dicimus) lenocinio quodam meretricio sunt amabiles; at blandimentis venenum immiscent, nam in eis Atmosphæra solitâ ventilatione destituta sæpe putrescit, & exinde quos, ut mater communis debuit alere, novercali more pessimè tractat, morbisque gravibus passim affligit.

Quamobrem in multis locis propè litora *Africæ* occidua ab istiusmodi tranquillitatibus, quàm à procellis impendentibus magis terrâ marique timetur.In insulâ S^{ti} *Thomæ* statim à solstitio brumali menses duos, aut ampliùs venti quidem silent, *Tranquillitates. periculosæ.*

at

at incolarum plerique languent; & pereunt, nisi gratus ventus obortus, oppressos eorum spiritus tempestivè reficiat. In navibus maris tranquillitate diu immotis tot perierunt nautæ, ut vix superfuerint, qui navem in portum agerent.

An aer Verminet. Quid si illis assentiamur, quibus persuasum est aerem à ventilatione diu prohibitum non tantùm putrescere, sed nonnunquam verminare & ab istiusmodi verminatione morbos exitiales, & interdum subitam mortem oriri? Itidem à nonnullis creditur; aerem, in pestilentiali ejus constitutione *acarôn*, oculo insensibilium nisi dioptrices ope adjuto, examinibus scatere & ab istis morbos contagiosos propagari. Certe cujuscunque generis sunt particulæ aeris noxiæ, ventilatione optimè purgantur. Τὸ ἐν κινήσει ὂν (inquit *Aristot.* in Sect. 14. problematon) ἢ ὅλως ἀσαπὲς, ἢ ἧττον τοῦ ἠρεμοῦντος πάσχει.

CAP.

CAP. XIII.

De motu aeris. i. e. Ventis & tonitru &c.

1. VEntus *Helmontio in lib. cui titulus Vacuum Naturæ*, definitur; Aer fluens à *Blas stellarum* motus. *Hippocrati* est Aeris fluentis unda. Nobis ventus est aeris, corporumve, quæcunque in eo incouspicua fluitant, sensibilis agitatio: quare qui æstuant, ventulum flabellis facientes, quoties libet se refrigerant: refrigerat autem ità motus non qd à tranquillo ambienti sit diversus, sed quia in corpus animatum impingens altiùs in cutem penetret: & fuliginosis ejus effluviis, quibus est frigidior, dissipatis magis afficit. *Venti definitio.*

Res, quæ præcipuè maximis aeris motibus dant initium, vapores sunt, aut exhalationes, quæ ex aquâ, aut terrâ calore solis, aût ignibus subterraneis incitatæ, in eo tumultuantur. *Causa materialis.*

Quamobrem in altissimis montium fastigiis, quo istæ vix ascendunt; tanta invenitur tranquillitas, ut notæ, quas in *Atho* vertice sacrificantes in cinere exaratas reliquerunt, à redeuntibus proximo anno integræ invenirentur. Quantum autem vapores calore dilatati valent, docet *aeolipylarum* usus: in eis enim à *Paululo* aquæ vi ignis suscitati, magno cum impetu, quâ data porta erumpere cernimus.

2. Cum vaporibus undecunque ortis sursum, & sublimis fertur multimoda materia, cujus dissonæ particulæ sicubi congrediantur; quantos tumultus *De tonitru & aliis aeris concussionibus.*

tumultus excitare valeant, multa Chymicorum monſtrant experimenta notum eſt quanto fragore & vi ſalia, quæ auri particulis adhærent poſt ejus in aquâ chryſulcâ ſolutionem, ſi calore urgeantur, diſſiliant. Notior adhuc nitroſulphureorum furor, & quali vi omnia dejiciunt. Tale quid in regione aeris exhalationibus fætâ accidere, & maximas Atmoſphæræ emotiones inde cieri credendum.

Exhalationum corpuſcula terreſtria & minùs volatilia ſuâ gravitate in obliquum agitata proximè terram moventur.

Tonitrus ratio formalis. 3. Materia verò ſpiritalis, & Sulphurea, more ſuo ſublimiùs tendens in nubium vaporibus hoſpitatur; ubi ſubinde vi frigoris in moles ſui generis congregatur ut in intenſis frigoribus, ſi vinum congelet, ſpiritus ejus in vaſis meditullium relicto phlegmate ſe recipiunt, ubi illæſi & puri perſtant. Sed hæc materia ita coacta ſæpe nubium ſuperiorum ruinâ, cum aere intercepto, eliſa, eoque motu ignita, *fulgetrum* format, & *fulmina*. Aer è Cœlo ita deturbatus fit *ecnephiarum*, *Ecnephiæ.* ſin nubium, aut montium objectu repercutiatur, fit *typhonum*, aut vorticum aeriorum *Typhones.* materia: qui, ſi collucentibus nitri particulis ſaturentur, *Preſteres* fiunt, & igniti videntur. *Preſteres.* ita in nitri deſtillatione fumi ejus in vaſe recipiente, antequam in ſtalagma coeunt, inſtar ignis rutilant, & affinis materiæ ſunt lucidæ iſtæ ſphærulæ, quæ *flammam* mentiuntur & in procellis funibus nauticis inſidentes apparent; & iſti etiam, qui Cœlo volare videntur, ut terrâ aliquando errant.

Porro nautis, promontorium bonæ ſpei præter vehen-

vehentibus nonnunquam apparet nubecula, ſublimis, obſcura, medio ſubrutila, at tantilla viſu; ut inde à *Luſitanis, Olho de Buey*; noſtris, *the Buls eye* i. e. oculus Bovis dicitur. Quà viſà vela protinus contrahunt. Quippe ni faciant, graviſſimè periclitantur. Momento enim temporis, qua patet ſenſibilis horizon, Cœlum nubibus obſcuratur, aut fulgetris tantùm lucet, & ventus brevi ſpatio in omnem horizontis partem variatur. *Exhalatio nautis dicta oculus bovis.*

Iſta enim nubecula ingens exhalationum & vaporum coacervatio eſt; propter *ſublimitatem* tam exigua viſa: quæ aut ob diverſas ſalium naturas, diſploſa, aut cum impetu, & ruinâ deſcendens commotiones iſtiuſmodi violentas in aere excitat.

Inter pericula, & terrores, quos habent tonitru & fulgur; aliqua utilitas nonnunquam latet nempe vehementi, & latâ aeris concuſſione, noxæ peſtilentes, ſiquæ inſunt, ex ejuſdem ſinu poſſunt excuti, aut igni fulguris perpurgari. *Tonitrûs commoda.*

4. Ex his, quæ modo dicta ſunt, videtur Atmoſphæræ agitntio ad vitam ſuſtinendam non minùs neceſſaria quàm ipſa materia: quòd ſuut venti tanquam ſcopæ, quæ aerem inquinatum à purgamentis, quæ aliunde, contraxit, everrendo liberant, malignamque illius diatheſin pigritiâ accerſitam, ventilando corrigunt. Ergo, Inquit *Seneca* ventos dedit ſummus ille rerum artifex ad cuſtodiendam Cœli, terrarumque temperiem. *Ventorum cauſa finalis.*

Non autem ſunt venti, à quâvis horizontis parte venientes hâc purgandi virtute ex æquo prædit. Septentrionali enim præ omnibus in no- *Septentrionalis ventus.*

ſtro Hemiſphærio ſalubritatis debetur palma: quamquam ſatius eſt quemlibet eorum, quam nullum habere. Is ventus à plagis nivoſis, gelidoque polo ſubjectis impetuoſè ſæpe deſcendens nitroſis corpuſculis, quorum copiam ſecum defert, aeris labes noxias eluit, nubeſque fugans cum ſerenitate ſanitatem deſideratam ferè inducit.

In *Lesbo* igitur, flante Auſtro, incolæ ægrotare; Coro, tuſſire feruntur: at ſuperveniente Aquilone protinus convaleſcunt. *Cal. Rodigin. lib.* 20. *cap.* 18°.

Eteſiæ. Certiſſimè hoc præſtant *Eteſiæ* venti; qui biduo ab exortu caniculæ emergentes, in tractibus quibus ſpirant, ardores æſtivos gratiſſimo flamine moderantur; morboſque peſtilentiales ferocientes magicis quaſi cantibus conſopiunt in autumnum, aut penitus tollunt. Itaque *Cairi* peſtis utcunque antè ſæviat, illis exortis protinus, donec ceſſaverint, diſparet; quod quidem alii *Nilo* inundanti acceptum referunt. *Plinius. lib.* 2. aquilones vocat; & à nivibus calore æſtivo ſolutis cieri creduntur. Horum affines & ſalutares ſunt eorum prodromi, qui octo dies ante Sirii
Ornithiæ. ortum ſpirant & *ornithiæ*, qui ſub hirundinum adventum Cœlum gratè ſerenant, omniaque blandè demulcent.

Sin *Aquilo* multum invaluerit, ὁκόταν δυνατεύῃ, inquit Hippocrates, tuſſes movet, fauces exaſperat, alvos indurat, urinas ſupprimit, lateri & pectori moleſtus eſt.

Eurus. 5. Eurus ab ortu æquinoctiali ſpirans occiduis *Europæ* tractibus ſiccus eſt, & frigidus, animantibus, & frugibus, præſertim vere ineunte minus ſalutaris.

ſalutaris. Vaſta enim terrarum ſpatia tranſeundo aſpera plurima corpuſcula ſalina, & terreſtria colligit, ſecumque defert, quibus aer infectus fit ſubobſcurus, & teneris plantarum gemmis valdè noxius; nec animantibus multò magis propitius.

Idem occidentalibus *Africæ* incolis, & aliis quibuſdam gentibus ob calores, ab arenis, quas permeat, retorridis graviſſimus eſt, & ſiquando diutiùs perſeveret interitum minatur. His potiùs convenire videntur qualitates modò dictæ quas *Hippocrates* aphoriſm. lib. 3°. aquiloni imputat. *Ariſtoteles* quidem omnes ventos in auſtrinos, & ſeptentrionales dividit.

6. *Auſtri* ſunt ferè calidi, & vaporibus tepidis à meridie delatis Atmoſphæram opplentes omnia humectant: hominumque capita gravant, & ſenſibus torporem inducunt, ideoque apud *Hippocratem* νωθροὶ, ϗ καρηβαρικοὶ audiunt: poros cutis laxantes corpuſcula Sulphurea, quibus ſcatent, in humores ſpirituſque intromittunt: & ea ratione febres ſubinde & capitis dolores cient in locis nonnullis lapidum & metallorum compages reſerare dicuntur. *Auſtri natura.*

7. *Favonius* Græcis *Zephyrus* in utrâque linguâ nomen à beneficiis invenit. Hic è regione ſubſolani ſpirans in verno tempore auſpicatò nobis Europæis ferè adeſt, & ſeminalem rerum virtutem blandè fovendo ver promovet: ſunt enim tepidæ quædam auræ ob Oceani vaporibus vi ſolari dilatatis excitatæ, & inde ad noſtra litora delatæ; quæ quia exhalationum terreſtrium ſunt expertes; animalibus, plantiſque fiunt propitiæ. *Favonii dotes.*

F 2 Interdum

Interdum tamen hic ventus ob immodicam vaporum copiam, qui in ingenti oceano nascentes in immensum dilatantur, fratribus suis impetu non cedit; nonnunquam superat. His quatuor contenta erat antiquitas.

De intermediis.

8. Sed quatuor intermedios à punctis, quibus tropici horizontem tangunt, spirantes primum adjecit posteritas: deinde alios quatuor. Postquam autem magnetis usus nauticus innotuit, viginti alios navigantium solertia adinvenit. Hi quotquot sunt, possunt autem reverà tot esse, quot horizontis sunt puncta, pro ratione viciniæ cardinalium ventorum quibus interjecti sunt, qualitates participant. Quæ regula licet plerisque locis ejusdem hemisphærii fere convenit; universis tamen minimè quadrat.

Ventorum varietas pro locorũ diversitate

Aquilo enim, qui cis æquinoctionalem gelidus est, & siccior, populis *antœcis* morbidus fit & pluvius; Austrinus vero illis est frigidus, & aerem serenat.

Euri etiam occidentalis Americæ plagas incolentibus, (quibus inter tropicos stati sunt) sole quotidie ad eos vaporum flumina dilatatorum ex oceano deducente, non minùs benigni sunt, quam nobis Favonii.

9. Porrò multis regionibus peculiares sunt venti qui pro origine, unde dependent, qualitates sortiuntur. Quorum qui descendunt à montium jugis nive perenni obrigentibus, etsi ad meridiem sitis, aquilonios æmulantur. Et à septentrionalibus plagis, siquæ Sulphureæ, & uliginosæ sint, spirantes austrinorum naturam induunt.

Venti peculiares.

10. Sunt etiam spiracula materiam terrestrem &

& ſalinam exhalantia, quæ aeri immiſſa, undecunque venit, Euri uſitatam ſiccitatem imitatur.

Circius. *Gallia Narbonenſis* ſuum *Circium* habet, qui (inquit *Lucanus*) ſolus ſua litora turbat. Ventus eſt vix ulli in Europâ violentiâ ſecundus.

Hurracanas. Eum verò longè ſuperant *Typhones, aut Preſteres*, quos barbaro vocabulo *Hurracanas* nominant, qui in *Caribeis* inſulis omnia vaſtant: & inenarrabili, quicquid obſtat, furore dejiciunt.

Procellam iſtis vehementiâ parem, forſan majorem in noſtrâ inſulâ graſſatam, ſed non latè, nec diu duraviſſe memini, & ruinas, quas fecit, vidi. Iſti tamen vehementiâ motûs, quam materiæ malitiâ potiùs nocent.

Ventorū pericula. 11. *Guinenſes* duplex à ventis patiuntur malum nam ſole in *Capricorni tropico* ſubſiſtente, ſicciſſimis illis (qui iſtis *Harmctani* dicuntur) ventis ſex dies continuos miſerrimè torrentur eodem etiam in Zenith imminente *ecnephiis* infeſtis quotidie vexantur in quibus imbres putres, fætidique & flatus peſtilentes præter fulgetra horrenda è nubibus ſulphureâ exhalatione fætis ſubinde cum impetu ruunt.

De vento exitiali in Chile. Sunt in *Peru*, quà in *Chilem* conterminam itur, ſolitudines; quas venti interdum perflant, qui dirâ ſuâ malitiâ homines illàc iter facientes improvisò conficiunt, aut ſine dolore mutilant: quod *Hieronymo Coſtillæ* militum imperatori accidiſſe teſtatur *Acoſta lib.* 3. *cap.* 9. Credendum eſt hos ventos terreſtribus, & acuminatis ſalium particulis ſaturatos, à vicinis montium, qui ibi editiſſimi ſunt, jugis in planitiem præcipi-

tari, & inde vim exitialem acquirere.

Memini virum fide dignum mihi quondam retulisse se in *Ciliciâ*, ni fallor, Turcam senem, & Christianum valetudinarium socios itineris, quod tum faciebat, procellâ vehementi à *Tauri* jugis subitò devolutâ extinctos vidisse.

De vent. corrosivis. In insulis *Asoribus*, & nonnullis *Americæ* adjacentibus venti præcipuè Austri sale quodam corrosivo abundantes lapidum, & metallorum reserant compages: idcirco ferramenta, quotquot eis sunt exposita, quasi ab aquâ stygiâ citò corrumpuntur.

Apogæi & tropæi. 12. Terræ radiis solis directè subditæ, aut ab ejus orbitâ non admodum remotæ ventis *Apogæis, & tropæis* statâ horâ quotidiè redeuntibus recreantur. Illi enim interdiu à mari, noctu autem à terris exorti & leniter spirantes æstivos calores multùm mitigant: & sanè sine istis in plurimis locis non omnino aut certè incommodè viveretur.

13. Ut feminæ *Europææ* æstuantes flabellis levibus sese ventilant: ità in *Indiâ*, & aliis *Asiæ* calidis regionibus servuli dominis quiescentibus ventilabro è pavonum caudis concinnato ventulum faciunt, & eâdem operâ muscas infestas arcent.

Ventiductus. Orientalia autem ingenia ad voluptatem solertia res multas & inter alia *Ventiductuum* in refrigerationem usum excogitarunt ad quos desidentes æstivos falliunt calores. Ex aquis in vapores solutis, aut salium diversæ indolis conflictu auras moveri, jam dictum est. At mirum est, quod *Martinius* narrat de monte quodam in *Sinarum* regno, in cujus vertice abyssus est, in quam

si

ſi lapis, aut aliud grave corpus dejiciatur, aer in cavernoſo monte ſonitu & crebro repercuſſu commotus in regione vicinâ impetuoſas concitat tempeſtates: & ob cauſam, hanc in anguſtis *Alpium* convallibus, quibus imminent minaces nivis cumuli, qui illàc iter faciunt, alto cum ſilentio procedunt, non tuſſire, nec loqui audentes: ne aer ſonitu commotus nivem rupibus excutiat & illi obruantur; quod turmis aliquot *Helvetiorum* aliquando acciderat.

An à magis tẽpeſtates cieri poſſint.

A *Magis*, & incantatoribus tempeſtates ſæpe cieri vulgò creditum eſt, & reverá è ſacris literis patet; malitioſum humani generis hoſtem Dei permiſſu multa hujuſmodi gravia molitum fuiſſe. Abſit tamen, ut credamus eſſe penes delirum quemlibet necromantia, quoties libitum eſt, terram Cœlo miſcere.

Narrationes item quæ de *Lappiæ, & Norwegiæ ſagis quæ* ventos utribus incluſos hoſpitibus navigaturis dicuntur vendere, ad formam fabulæ *Homericæ* videntur effictæ, quâ *Ulyſſes*, ventos pellibus ligatos ab *Æolo* accepiſſe fingitur: quantum igitur fidei hæc meretur, tantundem illis habendum arbitror.

An ullo artificio ſedari poſſint.

Nec venti jam concitati magiá, aut humano artificio ſedari queunt. *Empedocles* quidem *κωλυσανέμου* nomen meruit, at non quod ventos jam ortos ſedare valuit; ſed, quia paludes *Agrigento* vicinas derivando, aut obſtruendo exiccaverat; & eo pacto cauſam, unde fierent penitus abſtulerat.

Vires *Hippopotami*, *Phocæ*, & *Hyænæ*, quas in tempeſtatibus pacandis mirata eſt antiquitas, noſtra ætas deriſit.

quorund. superstitio. Vanior tamen est *Italarum* superstitio, quæ in *Appennino* inter *Pisas*, & *Bononiam* exorta tempestate aerem caseo, qui die *Ascensionis Domini* pressus fuit, decussatim signantes se ideo illæsas fore sperant.

Aut eorum, qui ob ovum eodem *Ascensionis* festo exclusum, quod tecto propè impluvium alligant, incolumes esse non dubitant.

Nostrates à tonitru metuentes, nè cervisiæ acorem incutiat, ei incommodo conantur frustum ferri rubiginosi singulis vasis imponendo occurrere: nec successum desperant: sed quâ ratione expectant, ipsos latet.

CAP. XIV.

De artificiali aeris infesti correctione & crasicriteriis aeris.

Machinæ murales displosæ aerem corrigere putantur. Et campanæ pulsatæ. Ignes etiã frequentes.

1. QUòd tonitrus, & fulgur aerem miasmatis pestilentibus inquinatum emendare creditur ideo rationes ejusdem corrigendi eis analogas meditata est humana prudentia.

Unde in tempestate pestilente in quibusdam urbibus populosis machinæ murales crebrò disploduntur, & pulsantur campanæ, quòd inde pari ratione, quâ à tonitru speratur, aeris mutationem expectant. Quantùm autem, & quàm latè aer inde movetur, fragor machinarum ad centessimum usque lapidem à prælio navali exauditus satis probat.

Ob

Ob eandem causam pyras passim, & frequenter accendunt; quo artificio Argon quidam medicus Atheniensis urbem à gravi peste liberare dicitur. Cælius. *Et suffitus aliquando possunt prodesse.*

Sunt etiam, qui suffitibus odoratis, è gummi resinosis, aut aliis ejusmodi sulphureis idem moliuntur: potestque hoc prodesse, ubi vis pestilentiæ à malignâ auræ vitalis diathesi pendet. Corpuscula enim Sulphurea pulmonum eutoniam conservant, aut labefactam instaurant. Et subtiles purioresque ejusdem particulæ per processus mamillares in cerebrum illapsæ, illud & nervosum systema multùm corroborant, & forsan materiam contagiosam excludunt. *Ratio.*

Sunt etiam quædam ingeniosa recentiorum artificia, quibus aerem justo tenuiorem, aut densiorem in conditionem cuilibet idoneam mutari posse asserunt. *Quod sunt alia de aere emendando commenta.*

Quod si perinde efficiunt; non potest ad humanam sanitatem non insigniter conducere.

PRE-





PRELOGOMENA

De cibis.

ANimæ corporeæ aer nitroſus videtur eſſe pabulum, cujus ope & jugi appulſu motus vitalis perennat, eodemque denegato anima, inſtar Automati pondere aut elatere detracto, horæ momento ſuo ab opere ceſſat.

Aer nitroſus animæ brutorum pabulum.

Corporibus autem animatis alio alimento, particulis craſſioribus conſtanti opus eſt; cujus identidem appoſiti acceſſione, animal ad juſtam molem ſpeciei à naturâ conceſſam perveniat: quodque motu animali, quaſi igneo perpetim deperditum debitè reſarciatur.

Cur animatis corporibus cibo opus ſit.

Ea materia undecunque deſumpta (ex animalium autem & vegetabilium claſſe depromatur, ambigitur, an mineralia eam præſtent) eſt cibus, ſine quo animal non augetur nec diu vivit: eſt igitur

Unde deſumi ſolet.

tur proximè poſt aerem ad vitam maximè neceſſarius. At certè minorem ejus quantitatem, quàm vulgò ingeritur, natura expetit; & ad vitam Cœleſtem proximè videtur accidere, cui minimo opus eſt.

Appetitus & fames ad vitam neceſſaria.

Omni animantium generi proprii victûs ſcientiam & ejuſdem appetentiam natura indidit: quæ affectio niſi tempeſtive cibus ſuppetat, fit fames, primò quidem moleſta, mox intolerabilis, & tandem etiam lethalis; ne quis ſui conſervationis neglectum impunè ferat, ſed ea, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, etiam ingratiis quærere cogatur.

Inedia ante ſeptimum diem non lethalis.

Inedia ante diem ſeptimum vix eſt mortifera; nonnullos refert *Plinius* ad undecimum perduràſſe; conſtat immo longè diuturniorem quorundam à cibis fuiſſe abſtinentiam, ut infra dicetur; ſed nulli animantium omnino ſine cibo vivere datur. Huic autem ſententiæ anomala quorundam animalium natura refragari videtur.

Anomala quorundã animaliũ natura.

Manucodiatas aves apodas plumâ perquam eleganti *Moluccæ* inſulæ mittunt; quas eſſe proprias *Paradiſi* volucres prædicant incolæ, & inde (ſi Diis placet) emiſſas, ideo Divinas vocant; & quia terris nunquam inſiſtunt, ſine omni cibo vivere aſſerunt.

Chamæleon.

Chamæleonta aere nutritum eſſe vulgo putatur: idem nonnulli de *ave pluviali* aſſerunt.

Glires.

Glires etiam totam hyemem edormire videmus, & de *Glire* ait *Martialis* ------Pinguior illo Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Serpentes.

Serpentes quoque poſt hyemalem inediam verno tempore excitatos ſenectâ depoſitâ juveneſcere cernimus.

Sed

Sed reverâ *Moluccanæ* illæ aves nón naturâ apodes sunt (vafri enim incolæ eas pedibus privant, ut admirantibus facilius imponant, plurisque vendant) insectis, quibus ille aer est plenus, more hirundinum possunt victitare. Immo *Bontius* affirmat rapaces esse & aviculis vesci. *lib.* 5. *cap.* 12. *Hist. Nat. Ind.*

Moluccanæ aves non sunt apodes naturâ.

Chamæleon prælongâ linguâ instructus est, cujus apicem mucosâ oblitum materiâ promptissimè exercens insecta inviscata arripit. Itaque par est existimare eum istiusmodi animalculis, non solo aere vesci.

Chamæleon insectis vivit.

Glires sine magno spirituum dispendio diu quidem dormiunt, & habitiores experrecti dicuntur: quod non nisi â pastu satiati sopore obruuntur, in quo spiritus animales, nisi qui in motus involuntarios impenduntur, omnes otiantur: Serpentes vero & animalia penè exanguia, quorum humoribus minus inest Sulphuris, spiritus habent non facile dissipabiles: itaque dum frigore hyberno torpent intermortui, cibi non indigent: tanta autem istiusmodi quorundam æstivo calore à torpore solutorum voracitas est, ut in proximam hyemem obsonari videantur.

Cur glires diu sine cibo subsistant.

Cur serpentes.

Inediæ tolerantiam in animantibus, quorum corpora ad eam à naturâ ita sunt disposita, non est quod multo magis mireris, quam somnum aliasque affectiones quæ toti speciei conveniunt.

Inedia quorundã hominum prodigiosa.

At planè prodigiosum est, quod de hominibus nonnullis observatum fuit, qui appetitu præter naturam

naturam extincto, menses, imo annos aliquot, sine magno virium dispendio aut functionum læsione, alimentum præter aquæ potionem non gustârunt.

Historia. Narrationi, quam Sigismundus Baro in Herbestein, de Lucomoriis gente septentrionali ultra Obi fluvium recenset, fidem habere non ausim. Illos narrat ab initio hyemis omnes intermortuos ritu insectorum jacere, & sexto calendas Maii denuo reviviscere.

Verisimile quidem videtur Troglodytas istos septentrionales commeatum (more formicarum) copiosè congerentes, ingruentibus tenebris & frigore hyemali in specus defossos se conferre, ibidemque otiosè latentes, nisi hyeme solutâ nusquam prorepere. Idem etiam ursis usu venit.

Diu dormire sine inediæ incommodo multis contigit. Dormiri aliquot dies impunè sine ἀσιτίας incommodo posse mihi persuasum est: exempla enim quorumdam qui istiusmodi soporem passi sunt recentia habemus; sed Epimenidem, illosque quos Nicephorus memorat, aliquot secula sopitos jacuisse, & tandem illæsos fuisse excitatos, pauci credunt.

Historia alia. Immane quidem est quantum valeat diuturna consuetudo.

Leonartus civis Pistoriensis (referente Cardano) sensim eo se traduxerat, ut semel tantum hebdomade cibum sumeret. Et juvenis quidam natione Scotus viginti dierum jejunium ferre sponte assuetus, longè diuturniorem inediam postea in custodiâ pertulit.

Jejunia diuturna religionis causâ. Plurimi Mahumedicæ, aliarumque superstitionum cultores, & quidam etiam Christiani religionis ergo, miræ cibi abstinentiæ se assueverunt: inter

ter quos Helvetius ille Nicolaus De Saxo à Boccatio, & Jacobo Zuingero memoratus, quindecim perpetuos annos in eremo jejunasse dicitur: sed à viris emunctiorum narium non æquè creditur.

Multos autem nec sponte nec voto obstrictos, sed infelici corporis dyscrasiâ ex morbo in inediam incidisse, eamque diutissimè aut semper perpeti esse coactos, plurimæ recentes historiæ fidem faciunt. *Historia inediæ ob dyscrasiam.*

Anno 1663 puella quædam (inquit Sennertus) annos quatuordecim nata, in agro Lucensi, solo aquæ simplicis potu sine cibo, sedecim menses perstitit, & tandem non sine omnium, qui eam noverant, admiratione convaluit. *Historiæ variæ ejusmodi inediæ.*

Quosdam biennium abstemios & sine alimento vixisse testatur Cœlius Rodiginus. Et Franciscus Citesius narrat puellam à 14° vitæ anno totum triennium ἄσιτον mansisse; eamque primis abstinentiæ mensibus invalidam, at postea firmiorem, omnia munia domestica (motu sensuve in nullâ parte deficiente) obiisse. Hoc accidit Confolenti, urbe in Lemovicum & Pictonum confinio anno Æræ Christianæ 1599. *Quidam totum biennium sine sibo aut potu vixerunt. Puella quædam triennium.*

Talis etiam Coloniæ visa est, quæ tamen lusit cum æqualibus, & saltavit (referente Gulielmo Fabricio) tanquam sana. Et Spiræ anno 1552. à Ferdinando Romanorum rege, & aliis imperii proceribus quæ quadriennium jejunaverat, conspecta est puella; ut narrat Joh: Langius. lib. 2. Epist. 27. & Evam Flagenam Mætsiensem viginti novem annorum inediam perpetuam tolerasse narrat dictus Fabricius. *Alia quadrienniū. Eva Flagena 29. annos.*

Ipse etiam virum noveram, qui in carcerem conjectus,

conjectus, diu à cibo abstinuit, solâ allâ i. e. Zytho subdulci nutritus. Sed quid illum memoro; cum istum liquorem nostrates instar omnium alimentorum esse prædicant.

Sed quo pergo? Si omnes, quæ occurrunt hujusmodi historias recenserem (sunt enim quamplurimæ) Lector facilè jejuniis posset obsaturari.

Ætiologia istiusmodi inediæ. Causas quod attinet, sunt abstrusæ & intellectu difficiles: multi igitur earum obscuritate à quærendo deterriti ad miracula aut qualitates latentes ignorantiæ asylum Philosophis indignum confugiunt.

Sed sine causâ Divina sapientia miracula non solet edere: itaq inquit Sennertus non esse credibile eos qui non vitæ sanctimoniâ excelluerunt, nec aliud quid Divini præ se tulerunt, in quibus nulla miraculi caussa subsuit, Divinâ virtute sine cibo conservatos fuisse.

Quercetanus ab aere solo more Chamæleontom tales nutritos putavit: sed nec Chamæleontas ab aere tantum ali supra astruximus.

Sennerti sententiâ. Multas medicorum & Philosophorum de hâc re sententias adduxit & refutavit Sennertus, tandemque suam meliorem subjunxit, scilicet in taliter affectis, eam esse humoris qui corpus nostrum conservat, dispositionem, ut à calore nostro absumi non possit. Si calor sit validus qui in humores ita dispositos agit, sic affecti sensibus integris vegete moventur; sin debilis sit, somnolenti, taciturni, & ad motum pigri sunt. Ita inediæ diuturnæ causa est humidi ad calorem ea proportio, ut illud ab hoc non nisi longo tempore absumi possit.

Hanc sententiam lucernæ antiquorum sepulchra-

lis

lis similitudine ingeniosè illustrat, quæ ultra mille annos accensa materiam inflammabile non penitus absumit; & carbonum è ligno juniperino, qui vel totum annum igniti durant.

A simili illustratur.

Mihi quidem taliter effectorum constitutio in eorum animantium crasin degenerare videtur, quibus humores sunt ita dispositi, ut spiritus animales non facilè dissipari & emigrare sinant. Ut rana execto corde aliquandiu vegete saltat; & testudo abscisso capite totum diem observatur vivere, & hæc animalia fere exanguia diutinam quotannis inediam patiuntur; quæ autem sanguine abundant, eoque valdè Sulphureo spiritibus facilè avolantibus cito extinguuntur, & licet actionibus nobiliora, abstinentiam longam nisi naturali crasi mutatâ non ferunt.

Nostra sententia de mirâ inediâ.

Animalia penè exanguia inediam diù patiuntur.

Plena sanguine sulphureo non item.

Famis cibis sæpe inexpugnabilis vires sponte nonnunquam concidere modò ostendimus. Jam consideremus an arte aliquâ sine cibis sedari possit, & quid pharmaca ἄλιμα & ἄδιψα præstare valeant.

De iis quæ præter cibos famem sedant.

De alimis & adipsis.

Nicotiana fumans à multis præsens & certissimum famis sævientis levamen prædicatur.

Tabacum.

Scythæ, quorum in patriâ regnum possidet fames, eam radice suâ Scythicâ per solitudines sine viatico ituri diu protelare dicuntur.

Scythica radix.

Et narrat *Monardes Indos* è calce concharum fluviatilium & Tabaci foliis trochiscos efformare, quos iter per deserta, quibus cibaria non suppetunt, facturi sub linguis servant, liquoremque quem in os eliciunt deglutientes, tridui aut quatridui (si opus sit) famem sine magno virium dispendio tolerant.

A puero sane expertus sum famis aciem posse à Xyride

Xyris. i. ad spatula fœtida.

Xyride aliiſque rebus δυσώδεσι retundi, ſed non vires indeſervari, nedum fatiſcentes refici. Vinum generoſum aliique liquores generoſi modicè ſumpti, optimè id præſtant.

De ciborum certorum odio.

Unde iſtud ciborum odium.

Ut ſubinde inventi ſunt qui cibos omnimodos averſantur, ita ubique ferè occurrunt, qui unius pluriumve rerum tanto odio tenentur, ut eas vix aſpicere multo minus guſtare ſine animi deliquio aut gravi nauſeâ ſuſtineant. Hinc alii caſeum aut butyrum, nonnulli carnem, multi hanc vel illam carnis ſpeciem aut partem exoſi ſunt.

Hoc vitium in nonnullis levi aliquâ occaſione oritur, quòd cibos quos abominantur, fœde tractatos aliquando viderunt. Alii conſuetudine

Quidam rem inviſâ inſcii edentes non turbantur ſed admoniti periclitantur.

eò adducuntur: ſic *Mahumedani* & *Judæi* ſuillam patrio inſtituto oderunt. Plerique horum ſi rem faſtiditam inſcii edunt, nihil mali inde ſentiunt: verùm de eâ licet longo poſt tempore admoniti in vitæ diſcrimen præ nauſeâ & aliis gravibus ſymptomatis conjiciuntur.

Ætiologia.

Nam ſpiritus animales in cerebro rei exoſæ imaginatione perterriti & perturbati, eos, qui ventriculi fibris ſunt inſiti, ad materiæ fœdæ quaſi jam ſumptæ expulſionem proritant; qui jam commoti non facile ſedantur. Alii adhuc ita afficiuntur ob peculiarem ventriculi diatheſin & ἰδιοπάθειαν; & hi, ſi quid ita faſtiditi ipſis clam cibo immiſtum inſciis ingeratur, in animi deliquia aliaſque perturbationes incidunt, & ſæpe graviter periclitantur.

Ventriculi ſenſus peculiaris.

Ventriculo enim ineſt peculiaris quidam ſenſus, quo partium rei infeſtæ conſtituentium incongruentiam percipit, & in ejus expulſionem inſurgit; at interdum dum de mali fugâ ſollicite ſatagit, ſpiritus diſſipantur, aut

oppressi succumbunt; unde sequitur aut mors aut Lipothymia.

Miseri quidem illi, qui inediam diuturnam cum anorexiâ pati coguntur: at longè deterior eorum est conditio quibus fames insatiabilis, instar Promethei vulturis, perpetuo viscera exedit, si quibus cibus videtur quasi causa famis, quo enim plus vorant, eo majori edendi aviditate teneri videntur. Non hîc dico voracitatem hominum quorundam athletice valentium, quæ licet sæpe magna sit, tamen naturalis est, & cibo quamvis multo tandem sedatur: sed esuritionem gravissimam quæ nunquam expletur, quâ si laborantes ingesta statim vomitu rejiciant, κυνώδης ὄρεξις Græcis dicitur; sin cibi copiam quantumvis magnam prompte concoquunt, bulimus est. Hâc miseriâ infamem olim fuisse quendam in agro *Cantiano* memini, qui omnia devorabat, tandemque totum censum, nec dum satiatus, in alvum demisit. *Historia esuritorũ.*

Causidicum etiam *Londini* vidi hoc malo laborantem, qui miser & pannosus incedebat, famelicâ gulâ scapulas defraudante, nec per immensam ingluviem arte suâ se potuit alere. Jecinora bovina à Laniis, ciborum analecta à coquis vili emebat, nec illis offis latrantem stomachum valuit compescere. *Hist. altera.*

Caninæ appetentiæ exemplum non ita pridem habuimus, esuritorem quendam circumforaneum, qui fœdissima quæque & vilia esculenta ingurgitabat, evomere quicquid erat ingestum statim paratus, quo facto, novam illico, si suppeteret, cibi saburram ingessit, nec ullas omnino à fame inducias impetrare valuit. *Historia caninæ appetentiæ.*

Ætiologia bulimi & canini appetitûs.

Sensatio illa ventriculi quæ fames est, & à vasorum suctione, aut fibris, defectu cibi spasmodicè contractis, esse statuitur. Mihi potius à spiritûs solventis insiti à quo alimentum distrahitur in fibras actione, quas materiâ alimentari deficiente molestè convellit oriri, videtur. Isti verò spiritus si abundent, aut solito sint acriores, ventriculi partes impendio magis irritant, & ingesta promptiùs quam par est solvendo appetitum immanem excitant. At si aurâ solventi nec qualitatibus nec copiâ modum excedente, fibræ istæ propter sui ἀτονίαν nimium sentiunt, appetitus fit Caninus, in quo solventi inest major famem excitandi quam ingesta concoquendi potentia.

Fames nimis diu tolerata periculosa.

Famem, ubi appetitus est ritè moratus, aliquandiu pati sanitati confert; sed nimia vires dejicit; & biliosos in febrem conjicit, ventriculo bilem immittit, corpus exiccat, ut *Hippocrates* asserit. 4°. Aphorisma. *Sect.* 2.

Ου πλησμονὴ, ὐ λιμὸς ὐδὲ ἄλλο ὐδὲν ἀγαθὸν
ὅ τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Neque satietas, neque fames, neque aliud quippiam bonum quod naturæ modum excesserit.

De absurdorum esu. Appetentia absurdorum.

Appetitus ut aliquandò dejicitur, in aliis supra modum augetur, ita in nonnullis adeo depravatur, ut cibis absurdis & nutritioni inidoneis impensè delectentur.

Quibus familiaris. Quæ potissimum appetunt.

Hæc affectio dicta κίττα & pica mulieribus gravidis & puellis cacochymicis adeo familiaris; ut nusquam non visa sit, quâ affectæ terram aut carbones & alia inepta perverso appetitu lautissimis

mis cibis præferunt. Hoc incommodum muliebrem ſexum frequentius infeſtat, ſed nec virili omnino hujus immuni eſſe datur.

Hiſt. abſurda edentium.

Militem gregarium olim vidi ſtrenuum & toroſum juvenem, qui lutum, calculos, & teſtas, ſine magno incommodo, quod novi, vorabat.

Lanium etiam nôram ſæpe pocula vitreata & alia æquè dura edentem, ſed ille conſtanti ætate cachecticus in hydropem inſanabilem lapſus eſt.

Sennertus etiam in Epiſtolâ medici cujuſdam docti, Hiſtoriam *Claudii Lotharingi* refert, cui ilia adeo ferrea fuerunt, ut nil tam durum fœdumve eſſet, quin ſponte, aut vili mercede conductus, ingurgitaret.

Ætiologia iſtius vitii.

Semina δυσορεξίας iſtius ſunt vitioſi humores in ventriculum aut alibi congeſti, quibus fermentum ejus ſpecificum depravatur: etſi plerumque in gravidis & chloroſi ob catameniorum defectum laborantibus phantaſiam vehementer movent; magna enim cerebri cum ventriculo per nervos, qui orificio ejus implantantur, eſt neceſſitudo.

Simile à Gulonis naturâ.

Nec mirum proprios humores imaginationem excitare, ſi verum ſit quod narrat *Helmontius*, lib. de magnet. vulnerum curatione, eos qui ſtragulis è pelle Gulonis confectis contecti dormiunt, de epulis, voracitate, & inſidiosâ venatione pro animalis viventis indole ſomniare, idiopathiâ animantis quondam vivi in pellibus hoſpitatâ, & inde in hominis ſuperdormientis phantaſiam traductâ.

Gulo & quid ſit.

Gulo iſte eſt animal Sueciæ & Livoniæ frequens

& voracissimum, quod prædam nactum donec absumpta sit perpetuò ingerendo & egerendo occupatur.

Hist. Agyrtæ qui lapillos pro cibis ingessit.

Viri autem isti quos modo memoravi, vanitate aliquâ gloriosâ eo victûs absurditatis adducti mihi videntur, certè alimentum inde non sperârunt. Etsi in mentem mihi venit agyrtæ cujusdam, qui calculis quos copiosè indies ingessit se nutriri populo persuasit, eoque pacto incautos pecuniâ, quam ut miraculum viderent dedere, emunxit: sed *ad populum phaleras*: obtrusit magistratui sagaci non item, cui fallacia suboluit, & nebulo, ut accepi, ergastulo quas commeruit imposturæ dedit pœnas.

Digressio de auro & aliis mineralibus. An alant.

Si minus supplicii, certè non plus fidei meruit mendicus astrologus à *Sennerto* citatus, qui asseruit carnes gallinæ sole in Cancrum ingresso saginatæ, cujus saginæ folia argentea affatim immista fuerant, intra mensis spatium candidas instar argenti factas, volucremque intus totam viridem concolorem isti pigmento quod Chymici ex argento conficiunt, glomeremque ovorum in ventre inventum totum fuisse quasi arte factum argenteum. Aliamque sole in Leonem subeunte eodem modo auri foliis pastam, in pectore tres lineas quasi ab aurifice inductas aureas habuisse.

Aurum omnium fixissimũ. In partes non nisi integrales diducitur.

Mihi puerulo, quod ἀτροφεῖν crederer à medicastro auri decoctum præscriptum est, sed adultus id risi, & eorum omnium sententiam qui aurum omnium fixissimum in animalis substantiam vertendam sperârunt, cujus in minutias à liquore Chrysulco diducti partes sunt solum integrales, & quanquam volatile salium volatilium accessione

ne reddatur, retinet tamen ſuam eſſentiam, & facili negotio in formam priſtinam reducitur. Sed fac metalla poſſe in chylum ſubigi, certè carnes ſpeciei proprias & concolores facerent.

Gallinis Mozambiquæ carnes & oſſa nigreſcunt, eædem in Europam delatæ, uti nec homines Æthiopes, nullo victu colorem mutant. *Color à natura datus victu non mutatur.*

Piſcis aci ſpina ſine argenti eſu viridis eſt; aliud animal, ſi mille argenti pondo voraret, ſpinam ejus ſimilem non obtineret.

At chalybs refragari videtur, qui intus aſſumptus facies chloroſi pallentes rubore grato & florido cito exornat. Chalybs à ventriculo ſolvente in partes elementares redactus, fit idoneum ſanguinis fermentum, non chylus laudabilis. Ideo nil nutrit ſed in ſanguinem delatus Sulphureis ſui particulis eundem languentem vegete exuſcitat, & ſalinis utpote ſtypticis vaſa majora nimis laxa aſtringens ſanguinis circuitum per vaſa capillaria prius pene derelicta promovet. *Chalybs chloroſi medetur. Non nutrit.*

Nec ſtruthiocamelis qui ſolida ferramenta vorant & concoquere creduntur; nec gallinis quæ lapillos præduros deglutiunt, talia cibo ſunt. Neque ſi ſtomachi menſtruo poſſint ſolvi carnibus, quibus ſunt alieniſſima vi plaſticâ poſſint aſſimilari, illudque tandem cibus eſt quod vi chylificâ in ſuccum corpori alendo analogum, ſit mutabile: & in hoc à condimentis & medicamentis cibi diſcrepant, hæc enim aſſumpta corporis ſubſtantiæ, quatenus talia, minimè accedunt, ſed qualitates mutant. Illa autem aliorum eſculentorum ſapores emendant. *Struthio camelus ferrum non concoquit. Nec gallina lapides. Quomodo cibi à medicamentis & condimentis diſcrepant.*

De cibi laudabilis requisitis qualitatibus. Cibus, ut omnes bonitatis numeros possit explere, debet ori esse & stomacho gratus; quippe quod male sapit, aut grave olet, chylum laudabilem vix præstat, ut infra dicetur. Sit item facilis concoctionis, boni succi, idonei nutrimenti.

Cibi eupepti. Facilè concoquuntur esculenta, quibus substantia non nimis solida, aut dura, sed quæ humida sunt mollia, & liquida. Cujusmodi sunt jusçula, ptisanæ gelatinæ, carnes animalium juvenum, quales sunt Hœdina, vitulina, agnina, & pullorum volucrum perdicum & phasianorum, Gallinæ villaticæ, & Afræ.

Euchymi. Euchymi sunt cibi. i. e. boni succi; quotquot sanguinem eximium, & perfectum generant: tales sunt animalia cornigeri generis ad senium nondum vergentia.

Volucres item nonnullæ juvenes, quales phasianus, perdix, gallina, urogallus. &c. eorum etiam ova sorbilia, pisces saxatiles, item lac recens animalium. Porrò panis triticeus ritè paratus, Amygdalæ, pistacia, uvæ. Poma redolentia, rapæ, sisera, Battatæ. &c.

Polytrophi. Edulia affatim nutriunt, quæ superioribus dotibus sunt prædita, & alia quotquot satis boni sanguinis efficiunt; unde corpus alendum incrementum capiat, cujus generis sunt carnes ferinæ animalium, quæ montana incolunt, præsertim musculosæ, succi quoque carnium assatarum expressi, caro etiam glandulosa animalium, ut thymus, testiculi & ubera. ova recentia, lac vaccinum: è piscibus Salmones, Salmerini, truttæ, Sturio recens. &c.

Partes animalium exangues, membranæ, car-

cartilagines & tendines minùs nutriunt, quam musculi aut glandes.

Cibus optimus, & præ aliis laudabilis est temperatus: sed vix datur esculentum, in quo aliqua primarum activarum qualitas seperatim, aut cum alterutrâ passivarum conjugatim non dominatur: & quo longius à mediocritate recedit; eo propiùs ad medicamenti naturam accedit. Quinetiam pro diversis partium constituentium figuris & contexturâ cibaria facultates varias, & medicinales obtinent.

Medicinales ciborũ qualitates.

Nonnulli igitur cibi astringunt, alii aperiunt, quidam urinam, alii menses cient: Attenuant, incrassant; alvum emolliunt, aut sistunt, adeò ut diæta rectè instituta pharmaceutices vicem commodè suppleat, & plerisque medendi scopis respondeat.

Qualitates medicinales.

Omni materiæ è vegetabilium, aut animalium familiis desumptæ aliquem saporem natura indidit: cujus causa appetitur, aut repudiatur, & dignoscitur.

De saporibus ciborũ.

Specificæ saporum differentiæ sunt innumeræ: genericas autem octo instituerunt plerique medici. Videlicet acre, acidum, salsum, pingue, dulce, austerum, amarum, acerbum. *Aristoteles* saporum causas, & rationem affectionis à qualitatibus immaterialibus petens, animis veritatis appetentibus vix satisfacit.

Saporum genera.

De causis eorum Aristotelis sententia.

Chymici autem asserunt longè probabiliùs: sal primum esse sapidum, & solùm Gustabile, nec posse sapores ab aliâ re oriri.

Chymicorum.

Sed verissimè *Democritus*, qui, testante *Aristotele* lib. *περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν cap.4. ἐις τὰ σχήματα ἀνάγει τοὺς χυμοὺς.* Sapores figuris tribuit, minutissimarum partium, quæ in linguâ solutæ senso-rium

Democriti diversitas saporum à figuris Atomorum.

rium diversimodè afficiunt.

A cujusmodi atomorum schematis singuli sapores fiunt.

Rotundas, & mole congruas, censuit, saporem dulcem efficere, magnâ figurâ moleculas, acerbum; multangulâ & minimè orbiculari, acrem; angulatâ esse distorta, quæ salsum; rotundâ, & parvâ, quæ pinguem producunt.

Platonis sententia.

Plato omnimodos sapores ad jucundum, & ingratum reducit, quod postremum in notas species omnes dulci adversas excurrit: omnesque sapidi differentias partium rei gustabilis asperitati, aut lævitati idem imputat.

A quibus saporibus nutrimentum.

Non ab aliâ re gustabili, præterquam dulci, aut unctuosa, vel ex utroque sapore compositâ posse alimentum confici à quibusdam persuasum est. Hanc sententiam comprobat *Galenus lib.* 4. *simpl. cap.* 15. affirmans: omnes cibos, quanto plus aliorum saporum suæ dulcedini admistum habent, tanto minùs nutrire: nam moleculæ asperæ & meatibus Chyli incongruæ, aut hærent, aut in sanguinem illapsæ carnis substantiæ non assimilantur. Proinde pontica, summè acerba, aut amara assumentes emaciant; cujusmodi sunt Absinthium, acetum, & succus fructuum immaturorum. Talibus nonnulli enormem corporis pinguedinem detrahere conantur: certè sanitati nimis ingrata obsunt.

Qui minus aut non omnino nutriunt.

De Chylo. f.

Cibi in Chylum mutatio.

Cibum, qualiscunque sit, modò non Exosus, per œsophagum demissum ἔντον@ ventriculus statim arctè complectitur donec vi spiritûs solventis in cremorem alibilem sit redactus.

Vis spiritus solventis in ventriculo.

Ea autem est istius solventis indoles: ut res duras, & nulli coctioni, immo vix igni cessuras, quasi prædicatum Alchahest, in subtilem liquorem brevi tempore transmutet: & illud, sine

ſine ſenſili, aut ſaltem moleſta aciditate.

Tale quoddam Aſſio Lapidi à *Plinio* ineſſe dicitur in quo corpora defunctorum condita intra 40 dies, exceptis dentibus, abſumuntur. *Vis Aſſii lapidis.*

Aliquod etiam ejuſmodi, de S[ti] Innocentii cæmeterio Lutetiæ prædicatur. Aer item alioquin innoxius quibuſdam in locis lapides, ferrumve brevi ſpacio exedit. *De Sancti Innocentii cœmiterio Lutetiæ.*

Demenſum illius chyli perfectè elaborati à venis lacteis intromiſſum, (præterlabente quicquid earum porulis improportionatum eſt) ad commune receptaculum defertur ubi à latice è lymphæductibus illuc commeantibus extillanti dilutus per ductus thoracios in venâ ſubclaviâ ſanguini committitur, & exinde crebrâ circulatione, & cordis ſyſtole ſubactus, & ipſe tandem perfectus ſanguis evadit. *Chyli tranſitus in ſanguinem.* *Hæmatoſis.*

Cibos pro figuris partium inſenſilium, & texturâ diverſimodè ad chyloſin, & hæmatoſin diſponi ſupra innuimus. ab illis igitur, ut pendet vita, ità ab eiſdem oriuntur morbi, & nonnunquam accidit mors. Νοσοῦμεν, οἷς ζῶμεν. Sæpe in ipſo ventriculo incipiunt tragœdiæ, cibis illic corruptis ut in coloſtratis pueris, aut ob ſtrictam partium cohærentiam facultati ſolventi non cedentibus, & non nunquam ob viſcoſitatem, non concoctis, ut in pane malè fermentato ob principia activa inviſcata cernitur, interdum particulæ chyli indomitæ, nec ſanguini miſcibiles (licèt in ejus ſinum receptæ) tumultuantur, & niſi tempeſtivè eliminentur, graves morbos cient: aliàs ſpiritus vitales, aut animales irretiunt, & crebrò ſanguinis, aut liquoris nervoſi craſin ita pervertunt; *Chyloſeos Vitia.* *A chyloſeos vitiis morbi.*

tunt: ut inde aliàs membrorum oriatur.

Sin Alimentum sit euchymum; id est, particulis constet nutritioni accomodis, post chylosin & hæmatosin aliquandiu peractam, in corporis alendi substantiam mutatur. De modo verò nutritionis verisimiliter supponitur, quòd pars nutrimenti purior, & spiritalis per arterias carotidas in cerebrum, velut Alembicum ascendens nervoso systemati instilletur: quod irrigat, & spiritibus ejus incolis vehiculo est: partium etiam exanguium nutritioni inservit, & forsan aliarum.

Modus nutritionis.

Pars residua crassior, & minus volatilis sanguinis fluvio circumacta sensim carni musculosæ & parenchymatis apponitur & fit ros, cambium, & gluten (ut nonnulli Loquuntur.)

assimilatio.

Sed sine nervosi laticis affluxu vix assimilatur. Unde in membris paralyticis ob nervos obstructos, constrictos aut præcisos, nutritione partium interclusa musculi extenuantur.

Assimilatio non fit sine latius nervosi affluxu.

Modico cibo, & simplici contenta esset natura, nisi misera hominum amentia vim ei turpiter inferret: qui dum suaviter, quàm salubriter malunt vivere; gulæ, cui inserviunt, rationem subjiciunt: & exinde nequeunt intelligere ὅτι πλέον ἥμισυ παντός. Quantumque victus facilè parabilis operosæ luxuriæ sit anteponendus. Certè omni ætate verè sapientes Spartanorum jus nigrum, & Phiditia mensis Siculorum aut Sybaritarum luxuriosis prætulerunt. Nec quisquam nisi amens *Apicium*, aut *Æsopum*, *Curio*, aut *Fabricio* sapientiores affirmabit. Imo nec *Epicurus* ipse qui summum bonum in voluptate posuit, illud in cupediis, aut ciborum varietate, & abundantia investigandum censuit; nec in

Laus & utilitas temperantiæ.

dubiis

dubiis cœnis, ſed Platonicis à quibus craſtina ſalus potiùs; quàm hodierna voluptas petitur. Ipſi etiam intemperantes heſternâ crapulâ gravati plerumque fatentur; quanto præſtitiſſet, ſatietatis voluptate caruiſſe, & ſobriorum animi ſerenitate perfrui.

Certè ubique gentium qui ad naturam proximè vivunt, maximè ſunt longævi: & eâ ratione veteres *Britanni* centeſſimum, & vigeſſimum ætatis annum plerumque adimplerunt: & hodiè *Americanorum* nonnulli ſecundam tertiamve aliorum hominum ætatem vivere feruntur. Quare qui longævitati & firmæ valetudini ſtudet, imprimis curet ut cibo ſalubri & ritè parato utatur, ſit etiam ſimplex, modicus, mundus, tempeſtive ſumptus.

Qui ordo in cibo capiendo obſervandus.

Simplici victu, utcunque ſalutaris ſit; luxurioſa gula haud erit contenta. Ideoque in cibis aſſumendis quo ordine potiſſimum utaris, neceſſariò quæritur.

Sunt quidem qui omnem ordinem in cibi aſſumptione negligunt, credentes parum prodeſſe: & cibos non eum ordinem, quo aſſumpti ſunt, in ventriculo tenere. Itaque quidvis temere, & promiſcuè ingerunt; ſed non ſine manifeſto incommodo. Alii ſtatuunt cibaria craſſa & ſolida priùs ſumenda: ſed perperam, ni fallor.

Galeni de ordine capiendi cibos ſententia.

Meliùs *Galenus* aliique proceres medicinæ præcipiunt viz: Concoctu facilia dyſpeptis, liquida ſolidis, laxantia aſtringentibus, quæ facilè deſcendunt, tardè permanentibus; & quæ citò corrumpuntur, iſtis qnæ non in ventriculo facilè putreſcunt, ſemper præmittenda.

Multis

De temporibus cibos sumendi. *Nonnullis gent. nullum edendi præstitutum tempus.*

Multis olim gentibus, quibus politior elegantia minùs placuit, etiamnum plerisque *Americanis* nulla præstituta edendi hora observata est; sed ventre monente, quod in promptu est, voratum.

Immo apud *Græcos*, Ἄριστον prandium ἀπὸ τοῦ ἄριστον à grammaticis deducitur, quasi istis etiam stata cibi tempora deessent. Sed reverâ habuerunt ἀκρατισμὸν, ἄριστον, δεῖπνον quibus tot *Romana* respondent, jentaculum, prandium, & cœna. *Plutarchus* ariston idem & acratismon fuisse arbitratus est. Et, *Festo* authore; cœna antiquitus erat, quod nunc prandium est: & pro nostrâ cœnâ erat vesperna. Horis autem eisdem cibos sumere non omnibus perinde convenit.

Et Græcis & Romanis tria erant.

Crudis jentaculũ minùs convenit. *Exercitati quâvis horâ possunt edere.* *Pueris, & senibus opus est crebriori cibatu.*

Crudis enim & infirmis novus multo mane perperam ingeritur, priusquam, cibus qui in ventriculo hærebat, sit excussus. Validis verò & istis, qui multo labore, & exercitio famem obsonârunt, quidvis cibi, & quâvis horâ licet sumere. Plurimum etiam consuetudini concedendum est. Notum est pueris crebriori cibatu opus esse; quiá amplum nutrimenti demensum in eorum incrementum perpetim impenditur. Senectuti quoque lampas vitæ; nisi alimentum crebrò subministretur, cito deficit: itaque senibus refectione sæpiùs, quam adultis est opus. At illis qui integrâ & constanti ætate sunt μονοσιτίαν potius suadeo; nisi crasis aliud postulet.

Biliosi non perinde ac pituitosi famem tolerant. *Rhasis sententia de cibatione.*

Biliosi enim, quibus ob sanguinem Sulphureum spiritus sunt magis dissipabiles, non perinde ac pituitosi inediam ferunt. De adultiorum victu succinctè præcepit *Rhasis* quarto *Almansoris.* Biliosis, inquit, bis in die cibo refici permittamus: pi-

tuitosis

tuitosis semel, temperatis sanguineisve ter duobus diebus.

Horæ cibos sumendi certæ sint, & intervalla non inæqualia, nisi desit appetitus. Quoties illud accidit, præstat abstinere, & cavere ---- Ne sit Ante sitim potus, nec cibus ante famem.

Repletio mala.

Nemini prodest repletio, expedit igitur appetitu cibis modicis refecto, non cœnâ dubiâ obruto à mensis surgere, quod fiet, si cibo simplici delectaris. Fœda erat veterum consuetudo convivia in multas horas producendi, imo in Lucem cœnandi inde enim pro salubri refectione, cruditates tantùm molestas habuerunt, istiusmodi tamen morem *Roxolani*, & alii Septentrionales adhuc retinent.

Diu mensis accumbere malũ.

Demensũ cibi singulis necessario tribuend.

Demensum pro singulorum conditione variandum; aliud senum, aliud puerorum esse diximus. Qui multo labore exercitati spiritus plurimum insumunt, ampliorem refectionem requirunt, quàm studiosi, aut artifices, qui totos dies in museis aut tabernis desident. Validi Septentrionalium ventriculi fere plus cibi flagitant quam Australium.

Temperantes citra appetitum vorant, aliique phagones, ob eundem vitiatum, modum non sciunt. Sed ventri valentissimo, modò benè moratus sit, unciæ 16. in diem sufficiant: aliis eo minus, nonnullis ejus dimidium.

COMMENTARII
De esculentis.

CAP. I.

De pane.

Panis etymon. 1. PAnis etymon nonnulli Grammaticorum à πᾶν quod sit instar omnis alimenti deduxerunt: & *Cornelius Celsus. lib.* 2. *cap.* 18. tradit Legumina, & panem è frumento cibos esse valentissimos: quam vocem epexegesi subnexâ statim explicat. Valentissimum, inquit, dico in quo plurimum est alimentum.

Panis usus. Panis profectò certissimè alit, rarò modò rite sit paratus, sanis, aut ægris ingratus, omni ætati convenit, & aliis cibis ferè famulatur. Quorum nonnullis, alioquin injucundis gratiam conciliat. Carnibus etiam, & aliusmodi eduliis fastidium, nauseamve, quam affatim ingesta facerent, detergit.

Tartari panem non habent. Apud omnes penè nationes præter Scythas Hamaxobios, quos jam Tartarorum Hordas dicimus, dudum receptus est. Et illos arbitror non aliam ob causam, panem contemnere, quàm quòd non habent. Gens enim ἀνέστιος nusquam diutiùs commorans, quàm pascua quibus insident, gregibus, quos secum trahunt, sufficiant, agriculturæ non potest vacare.

Alii, quibus ex aliâ materiâ fit frumentũ. De materiâ panis minùs usitatâ. Alii quibus non est frumentum, ex aliâ aliquâ materiâ ejus vicariâ panem, aut aliquod analogum conficiunt.

Veteribus glandes pro pane erant. 2. Fertur antiquitus glandes quercûs, aut æsculi, aliasve, id genus fructus hominibus pro fru-

mento

mento fuiſſe, & fortaſſe etiamnum alicubi eidem uſui inſerviant.

Iſlandii, *Lappæ*, aliique Oceani Septentrionalis maritima incolentes piſcibus frigore induratis pro pane utuntur. Neptuno Cereris vicem explente. Mediterranei etiam earum regionum ſuam cervinam, Tarandorum carnem itidem induratam cum cortice pini in panes ſubigere feruntur.

Septentrionalibus è piſcibus frigore ſiccatis fit panis.
E carne Tarandorum & cortice pini.

Quin & nonnulli *Sinûs Arabici* incolæ ſub alio Cœli cardine pane ejuſdem farinæ veſcuntur, è piſcibus enim ſole torrefactis eum formant; ni facerent, minimè illic viveretur. Terram enim ibi colere eſt verè ſemina arenis mandare. Ex *locuſtis* ſiccatis *Afri* ſibi panem conficiunt. *Americæ* incolæ tam advenæ, quàm indigenæ pro ſegete, radicum meſſe gaudent; ſiquidem è *Juccæ* ſuæ radicibus panes guſtui non ingratos nec inſalubres ſibi coquunt; ſed non niſi humore priùs expreſſo, qui in inſulis, & maritimis venenatus eſt: in mediterraneis vero ſalubris.

Sinûs Arabici incolis è piſcib: calore ſolis ſiccatis.
Afris fit è locuſtis.
Americanis è manjuccæ radice.

De *Maizâ*, frumento jam nobis noto, & illis familiari panem habent: ſed vilioris notæ; necnon è *Battatis*, non injucundi ſaporis.

De Maizâ etiam, & Battatis.

Fuerunt olim, quibus caſtaneæ molitæ panis imaginem præbuerunt: & idem adhuc fieri apud *Cenomannos* à montium incolis teſtatur *Bruyerinus*.

Aliis è caſtaneis.

Porrò in nonnullis regionibus incolæ tenuioris ſortis ex *Algarobarum* ſiliquis i. e. *Xyloceratiis* panem ſibi parant: eò minùs igitur ineptè à *Germanis* S^t. *Johans Brot*. i. e. panis *Sancti Johannis* dicuntur; licet forſan *Divus Johannes* nunquam

E Xyloceratiis.

eis vescebatur.

E Loto Ægyptiâ. *Lotus* planta est *Ægyptiaca*, è palustrium genere (alia ab arbore illâ *Homericâ* nimis hospitali) quæ recedentibus *Nili* riguis aquis abundè provenit: è cujus semine fluvii accolæ panis genus olim *Lotometram* dictum, conficere solebant. Herbam describit *Theophrastus li.* 4. *cap.* 10.

E gypso. Ad *Vogesi* montis tractum prope *Burcken* oppidum, farinam candidam effodi, & ex eâ ab incolis panes, & placentulas confici author est *Claudius Diodatus in lib.* 2. *Panthei Hygiastici. cap.* 4. sed ista materia gypsi genus est, quod in pollinem farinaceum abit: quod in usum cibarium adhiberi, minùs mireris, si memineris *Plinium lib.* 18°. *cap.* 11. scripsisse *Romanos* in *Alicæ* confectione gypsum, cretamve admiscuisse.

Moluccanus è medulla arboris. In *Moluccis*, aliisque ultimi orientis insulis medulla cujusdam arboris panis præbet materiam, quæ incolis *Sagdu* dicitur.

Congi incolis è nucum putamine. &c. Et in regno *Congi* nucis certæ putamen eandem præstat. Denique vix credendum qualem panis materiam hominum obsessorum, aut annonæ caritate oppressorum improba necessitas excogitavit. Sic Fame immaniter sæviente in insula *Guadelupa* (Insula est ex *Antillis*) multi vitam pane è fructibus arboris dictæ indigenis *Courbariæ* confecto sustentarunt. *Tertræus Hist. nat: Antillarum.*

De frumentaceâ panis materiâ Triticum. Siligo quid sit. 3. Inter cibos Cereales primas obtinet panis triticeus: Et apud veteres reliquis frugibus palmam præripuit *Siligo*: quam *Plinius. lib.* 18. *cap.* 8. tritici delicias dixit & eam nonnulli existimant, idem esse frumentum, quod nostris popularibus indigitatur *White Lammas wheat. Gallis*

lis Bled Blanch. i. e. far candidum ſpicâ muticâ. Magna ſanè ubique pro regionum varietate eſt tritici diverſitas. Sed ſemper id excellit, quod purum, & ſicciſſimum reliquis in ſuo genere præponderat, id enim ab exiguâ mole plurimum largitur alimenti, & laudatiſſimum.

Frumenta vero quæcunque in panificio, aut aliis cibariis conficiendis adhibeas aliquandiu ferè reponuntur: ut humoris ſuperflui quicquid inſit exudet: & ſpiritus inſiti nonnihil liberiores, ad opera, quibus deſtinantur eo pacto meliùs diſponantur.

Triticum moderatè calefacit, paniſque inde factus quo purior ſit, & furfure magis exutus eo melius nutrit: ſed tardiùs deſcendit. Qui minùs purus eſt, pro ratione furfuris relicti magis, minuſve alit. Qui valdè furfuraceus eſt particulis furfurum aſperis inteſtina ad expulſionem ſui ſtimulantibus citiſſimè dejicitur. *Tritici facultates.*

4. *Secale* frumentum eſt montanis & Septentrionalibus populis in panificio uſitatum; minùs quàm triticum, & alit, & calfacit; quam hordeum autem magis. Concoctu difficile eſt: ruſticis verò exercitatis, qui eo ferè veſcuntur, ſatis convenit. *Secale quibus uſui eſt. Ejus dotes.*

5. *Hordeum* refrigerat, & quia particulis ſatis aſperis conſtat, abſterget, aperit, & diureticum eſt: ſed modicè nutrit. Idcirco panis hordeaceus triticeis, aut ſecalinis minùs alit, & eſt frigidior. Sunt, qui negant eos, qui hordeaceo pane ſolo utuntur, morbo pedum tentari. *Hordeum. Ejus vires.*

6. *Avena* etiam, quam *Galenus in lib.* 1. *de Alimentis*, Jumentorum, non hominum cibum pronunciavit, pultes, & juſcula ſanorum & ægro- *Avena, Ejus uſus in cibis.*

rum ingreditur; panes etiam non ſpernendos, nec inſalubres præſtat. In locis nonnullis præſertim Septentrionalibus ubi aliæ fruges non ſatis fæliciter proveniunt, pane tantùm avenaceo veſcuntur ruſtici, & alii. Panis iſte aliquantò calidior eſt, quàm hordeaceus.

Tragopyrũ quid ſit. 7. Frumenti genus, quod noſtris *Buckwheat*; *i. e. tragopyrum*, aut forſan rectiùs *fagopyrum*. *Bucken* enim fagos ſignificat quarum ſemen, ad amuſſim refert, *Mathiolo Saracenicum* dicitur. *Unde ad nos delatũ.* Credo quòd ab *Afris* ad *Italos* delatum ſit, quorum nonnullis & *Germanorum* multis panis materiam præbet. *Ejus vires.* Facilè digeritur, parvi alimenti, at boni. *Dodonæus* aſſerit minùs nutrire, quam ſecalen; tamen, qui eo tantùm veſcuntur, vegeti ſunt, & robuſti perinde ac qui aliis frumentis utuntur, hoc fuiſſe *Eryſimum Theophraſti*, *Lobelius* putavit: *Ocymum* verò *cereale* credidit *Cluſius*.

E lomento, legu minũ farinis fit panis. 8. *Ex lomento* etiam, & leguminum farinis, imo viciarum, tenaciori aliquo frumento, ut coquendo conſiſteret, admiſto in magnâ annonæ caritate panem confectum vidimus. At cui non ſuus ſapor, ſed famis condimentum gratiam conciliavit.

Milium & panicũ qualem panem præbet. 9. *Milium & panicum* his regionibus rariora, aliis frumento familiari ſunt, & in panes, ſed friabiles, & exigui alimenti coquuntur. Alvum humentem deſiccant. Eſt autem milium panico gratius, & magis nutrit.

Qualem Sorgum. *Melica Italorum*, quæ *Plinii Milium Indicum* eſt, aliis *Saracenicum & Sorghum* dicitur. Hoc ruſtici *Ferrarienſes* in panificiũ ferunt. Et panes inde confecti, eos, qui ex panico ſunt, temperamento referunt, & ſapore.

10. Seſa-

10. *Sesamum* semen est *Alexandriâ, Cretâ* aut *Peloponeso* ad nos allatum: quod olim (Testante *Galeno*) panibus fuit immistum. *Theophrastus* etiam inter fruges recenset, & *Plinius* frumentis annumerat; *Columella* leguminibus. Comestum tardè concoquitur, sed concoctum multùm alit. ingue est, & proinde ventriculi eutoniæ ferè obest. Ex eo cum melle, aut Saccharo elegantes placentæ sunt factæ, olim *Sesamides sesamonia* & *Itria* dictæ. *Sesamum unde ad nos delatum.* *Ejusdem usus & vires.*

11. In multis *Africæ, Asiæ*, & plerisque *Americæ* tractibus fructus plantæ arundinaceæ dictus *Maiz* est usitatum illis populis frumentum: duplex ejus species est magnitudine, non facultatibus diversa. *Turcicum* minus, *Indicum* majus, & procerum est. Utriusque farina, furfuribus cribro pollinario exemptis, candida est. In pulmentis nautas, & rusticos pascit, & in *Insulis Caribais* ergastula, quos modicè nutrit. At panes inde concinnati siccant, ægrè concoquuntur, inflant ventriculum, alvum sistunt, & non nisi robustis, & duro labore exercitatis conveniunt. *Maiza ubi nascitur.* *Ejus species.* *Usus.*

12. Papaver album sativum olim alicubi *Italiæ* & etiamnùm, ni fallor, in agro *Tridentino* pani admiscetur; sed parcè id faciendum, nisi coctio vim narcoticam adimat, aut obtundat. *Pap. album Pani admiscetur.*

Seminibus *Anisi, Carui. fæniculi*, ciborum flatulentorum molestia tollitur. Itaque in panibus à multis unà coquuntur. Sunt stomachica, & pneumonica; lac abundè augent, & urinam movent. *Et alia semina viz. Anisi Carui. &c.*

13. In panificio imprimis necessaria est fermentatio: sine quâ non fit panis; sed materia digeri difficillima, gravis, & victui penè inutilis: *In pänificio necessaria fermentatio.*

Ejus effe-ctus. fermentatio verò adhibita particulas massæ activas viscido lentore priùs obrutas exuscitat, quæ exinde massam liberè permeantes eam excavant & majorem in molem attollunt, eoque pacto panis fit levior, gratus & *Stomachi solventi* facilè pervius.

A diverso fermento in pane ejusdem farinæ qualitatũ diversitas, Quales è portione pastæ ad acorem servatæ. Diversa sunt fermenta, & pro eâ diversitate in pane ejusdem farinæ magna qualitatum differentia. Nam qui portione pastæ fermentatæ, & ad acorem cum sale servatæ fermentatur, fit austerus, & nonnihil acescit. Quod particulæ fermenti acido salinæ subtiliatæ, & per totam massam diffusæ alias quibus occurrunt, sui consimiles exacuant, & summè exaltent. Easdem qualitates cervisiæ fæces in eundem usum adhibitæ in pane relinquunt.

E cervisiæ fæcibus. Ex flore cervisiæ, Sed spuma cervisiæ fermentescentis concreta massam frumentaceam potentiùs attollit, & saporem dulciorem producit: ista igitur pistores panes siligineos potissimum fermentant.

Ex ovis conquassatis. Ova conquassàta in fermentum adhibita quia animalium illa primordia sale volatili & spiritu abundant, panem faciunt levissimum, & gustui pergratum reddunt. Itaque hoc panis genus præ aliis in pretio est; ut illud primo modo fermentatum agricolis, aliisque duro labori mancipatis convenit.

Subactio. Quomodo fit. 14. Panis utcunque fermentatus, nisi valida accedat subactio, laxus, inæqualiter mistus, & aridus evadit. Eam mulieres manibus panificæ; at pistores instrumentis quibusdam melius perficiunt.

Coctio. qualitates à modis coquendi. 15. Non exiguum in panis sapore & salubritate discrimen efficiunt instrumenta, & coquendi modus.

Primas

Primas quidem furnaceo, si ritè tractetur, deferendas censemus. Et proximas clibanitæ isti, qui furnis ex ære mobilibus excoquitur. *Furnaceus. Clibanites.*

Quibusdam in locis mos est panes in usum domesticum *Speusticos* artoptâ ferreâ, aut lapideâ candenti coquere. Hoc edulium suo idiomate *Scoti* dicunt. *Clapraprad of the Stone.* Apud illos ferè ex avenâ paratur; estque panis stomacho utilis, salubris, & gratus. *Speustici.*

Panes verò foci pavimento coctos, & subcinericeos *Galenus* improbavit: nec injuria, multos enim eorum usu in graves morbos, & nonnunquam lethales conjectos vidit omnis ætas. *Subcinericei.*

Cibi cereales dulciarii, & adipati cujusmodi sunt *Artolagani, Itria, & teganitæ* gulæ oblectamento potiùs, quàm corporis sanitati inserviunt, de quibus vix memineram, nisi ut monerem tales, nec copiose, nec sæpe assumendos. & tam panes, quàm alios cibos maximè simplices esse saluberrimos. *Panes dulciarii & adipati. Panis simplex saluberrimus.*

Compositos vero ob partium discrepantium luctam in ventriculo ferè tumultuari, idem *Aristoteles problemat.* Τμημ. α. notat. Ποικίλη τροφὴ (inquit) νοσώδης· ταραχώδης γὰρ, κ' οὐ μία πέψις.

CAP. II.

De frugibus Cerealibus coctivis.

De fabis.

Sem: Cerealium utilitas.

1. S*Emina Cerealia* præter usum in panificio, aliis modis parata cibos perquam utiles, & gratos exhibent. E quorum ordine *Symbolica Pythagoræ* doctrina fabas nondum potuit eximere. Gra-

Fabæ.

vis quidem *Dioscoridis* authoritas earum existimationem potuit labefactare. Scripsit enim, fabas inflationes excitare, ægre concoqui, & somnia tumultuosa facere, & ob has qualitates quidam illud à *Pythagorâ* simpliciter præceptum arbitrantur. Inter quos *Cicero lib. de divinatione* hæc habet. *Plato*, (inquit) jubet, sic ad somnum proficisci, corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat, ex quo Pythagoricis interdictum putatur, ne fabis vescerentur. E contrà *Aristoxenus Musicus* apud *Gellium* affirmat, *Pythagoram* nullo legumine, quam illo sæpius usum. Quod si verum sit certum est, illud dictum, aut ænigmaticum, aut *Pythagoræ* non fuisse. Utcunque nobis experientiâ constat (quicquid veteres censuerunt) fabas

Fabæ nostræ teneræ in cibis quales.

nostras virides, & adhuc teneras edulium præstare salubre, jucundum, nec admodum *qu-*

Nobis

Nobis duplex est fabarum genus, quarum majori *Hortensi* frequentiùs in cibum utimur, minus agreste est, quod, uti & alterum, cùm maturuerit, jumentis relinquimus. Tamen Rusticum novi pauperem, qui in gravi annonæ difficultate eis solis elixis, nec aliâ re liberos aluit. Pueris tamen ita pastis meliùs coloratos, aut habiliores vix alios vide es. Unde constat copiosè nutrire fabas aridas; postquam ventriculus eas ferre assueverit. *Duplex earum genus Hortense & agreste.*

Fabæ autem nostræ nobis dictæ *Beanes* aliæ sunt ab istis veterum *Græcorum*, quibus solis medici illius seculi usi sunt. *A nostris fabæ Græcorum differunt.*

2. Fabæ veterum Græcorum flores purpurascunt: quibus siliquæ angulosæ, & curvæ succedunt: quæ maturitate nigrescentes semina quatuor, aut quinque subrotunda, pisis, quàm nostris fabis similiora continent. Hæc faba fuit *Dioscoridis*, & *Galeni*; & ejus sunt facultates, quas illi fabis tribuerunt, pro eâ tamen nostræ fabæ jure substitui queunt. *Fabæ Græc. descriptio.*

Faba Ægyptia colocasiæ fructus est, quæ planta est nymphææ instar, fluviis & locis uliginosis innascens: Et infra inter fructus exoticos describetur. *Faba Ægyptia.*

3. Pisa, & alia legumina eorum affinia tam matura quàm tenera esitantur. Viridia primâ æstate priusquam præ copiâ sunt vulgaria, & ideò contemptui, lautioribus pro deliciis, & in magno pretio sunt. Matura verò nautis, Agricolis, aliisque quibus valenti cibo opus est frequenti in usu sunt: aliquantò minùs quam fabæ flatulenta sunt, & multum alimenti præbent à *Diocle* & *Varrone* fabis (græcis) postponuntur. *Pisa. Viridia cujusmodi cibus sunt. Matura.*

4. *Lupini*

Lupini quales cibus sunt. 4. *Lupini* aquâ, donec dulcescant, macerati cibi sunt non injucundi, qui fastidium tollit, & orexin auget: à *Galeno* autem crassi succi, & difficilis concoctionis accusantur.

Lens. 5. Lens cocta stomacho, & intestinis malè convenit: alvum sistit. Præstat in cibis, quæ facile coquitur. Est (inquit *Celsus. lib.* 2. *cap.* 18.) è leguminibus valentior faba, vel lenticula, quàm pisum. Frequentiùs cibo usurpata venerem nimis lascivientem cohibet: sed & oculorum aciem obtundit, & somnia tumultuosa excitat. Medicinalis lentium usus in variolis & morbillis vulgaris est; & ab *Avicennâ* (ni fallor) primùm probatus. Ad id forsan adductus *Galeni* authoritate qui *lib.* 1. *de Aliment. fac. cap.* 18. scribit φακοφαγίαν eis rectè convenire, qui aqueâ in carnibus καχεξία laborant.

Dolichi & phaseoli. 6. *Dolichi, & Smilacis Hortensis* fructus Phaseoli, cum siliquis teneris cocti: & interdum sale conditi eduntur: hæc minùs quàm pisa flatulenta sunt, affluentius nutriunt, celeriùs descendunt, alvum, & urinam movent, pectoris angustiis conducunt. *Eorum usus.*

Cicer. 7. *Cicer sativum*, tam album, quam rubrum plurimum nutrit, & veneri amicum est sed non minùs inflat, quàm faba. Absterget, diureticum est & leniens, unde nephriticis decoctum ejus confert.

Viciæ, Lathyri, orobi. *Viciæ, Lathyri, Orobi*, &c. id genus alia propter amaritudinem nisi fame misere urgente negliguntur: si quando eduntur succum crassum, & viscosum præbent. *Quales in cibis sunt.*

Oryza unde oriunda. 8. *Oryza Theophrasti* ætate peregrinum erat semen, ad Græcos paulò ante ex *India* allatum.

Plinii

Plinii verò tempore copiosus ejus in *Italiâ* erat proventus: ad nos aliunde illata materiam cibariam abunde præbet. Calida est, & sicca; plurimùm nutrit, alvum sistit. Apud nos, & vicinas gentes cupedia elegantia non pauca ingreditur, sed in populis orientalibus tota ferè res cibaria, ei, tanquam basi, innititur. Ex illâ enim cum ovillæ, aut carnis aliusmodi portione & aromatis quibusdam fit pulmentarium celebratum, quod illis *Pilaw* appellatur, quod multiplici conditurâ in miram saporum diversitatem variatur, crebrò vescentes impinguat: unde tabidis & hæmoptoicis conferre possunt ex oryzâ pulticulæ, & aliis, quibus cibo incrassanti opus est. Oryza cocta & adhuc calens comesta caput edentium tentat.

In Italiâ copiose crescit. *Ejus dotes.* *Orientaliũ præcipuus cibus.* *Caput tentat si calida edatur.*

9. Oryzam specie, hordeum decorticatum Græcis πτισάνη quodammodo refert: illud enim glumâ suâ exutum in pultem laudatissimam resolvitur quæ ægris et sanis, ut plurimùm grata, refrigerat, nonnihil deterget, urinamque blandè movet et tanti usûs est, in virium collapsarum instauratione, et in febricitantium diæta: ut præter frequentem ejus mentionem *Galenus* de eâ integrum conscripserit librum.

Hordeum & triticũ decorticata. *Ptisana.* *Ægris grata.* *facultates ejus & usus.*

10. Triticum quoque eodem modo pinsitur, sed ptisana illa elixa ob visciditatem hordeaceâ multò minùs est laudabilis; ex eâ tamen solet pulmentum quadragesimali tempore usitatum, à nostris confici. Alias fruges, frumenta, et legumenta quibusdam gentibus impertivit natura, nobis, quibus alias affatim indulsit, negatas: quas lubens prætereo, aut in alium locum rejicio.

Tritici decorticati qualitates & usus.

Fænigreci

Sem. fœni græci. usus ejus inter Ægyptos. Et alios,

11. *Fœnigræci* ſemen, græcè Τῆλις quod ſtomacho minùs convenit, apud noſtates rarò internè adhibetur. Narrat tamen *Proſper Alpinus*, Mulieres Ægyptias pingueſcere & habitiores fieri affectate quærentes eodem, ſed ad regerminationem defoſſo, frequenter veſci. Et inde ſacci plurimi ſemine ita parato in *Cairi* foro quotidie venales ſunt. Hoc Mauræ item nunc faciunt: et idem *Galeni* tempore factitatum conſtat.

Lini ſem. veteribus comeſtum.

Ejus vitia.

Olei ejus virtutes.

12. *Lini ſemen* ſuâ tempeſtate in uſu cibario fuiſſe oſtendit *Galenus. lib.* 1. *de fac. Al. cap.* 32. frixum verò, et garo conditum apponebant. Sed utcunque paratum parùm nutrit, inflat et ſtomacho nocet. Quod *Dodonæus in Hiſtor: ſtirpium* exemplo Zelandiorum probat: quibus in magnâ annonæ caritate *linoſpermo* paſtis, fauces, aliæque partes tumefactæ ſunt, Hypochondria diſtenta; et non pauci eo malo extincti. Oleum tamen recens expreſſum phthiſicis, pleuriticis, et colicis à Medicis cum ſucceſſu propinatur.

Cannabis ſem. Cibo quibuſdam eſt. Ejus vitia.

Cannabis quoque ſemen frixum Galeni ætate inter tragemata erat; et etiamnum in quibuſdam *Germaniæ* locis elixum cibo eſt. *Melchior Sebiz. de aliment. fac.* verum crebro, inquit, uſu ventriculum debilitat, generationi officit, & caput tentat, unde atociis admiſcetur & baſis eſt narcotici Ægyptiorum pharmaci, quod *Boſam* appellant, et quo feſtivam inſaniam accerſunt.

CAP.

CAP. III.

De esu fructuum horaeorum, & olerum in genere.

1. PRisci homines simplici victu, & facilè parabili contenti, fructibus sylvestribus, victitasse perhibentur. Unde poeta sub *Pythagoræ* personâ *lib.* 15. *metamorphoseon* idem asserit. *Prisci oleribus erant contenti.*

---- Ætas cui fecimus Aurea nomen
Fœtibus arbuteis, &, humus quas educat, herbis
Fortunata fuit. ----

Et ita reverâ fuit siquidem morbis, vitiisque caruit, quæ nostræ politiori ætati luxuria in cibis intulit. Parum sanè esset, id genus victûs, nisi quòd aliud adhuc non noverant: sed non erat insalubre, & vescentibus alimentum benignè suppeditabat. Et homines eo solo uti coacti, non minùs, quàm alii lautè viventes vegeti esse, & torosi observantur. Sunt item Hiberni, qui suo *Chambroch*, (quod est *trifolium pratense purpureum*) aluntur, celeres, & promptissimi roboris. *Oleribus pasti vegeti & strenui.*

Sic animalia, quibus maximæ vires, & moles, equi, boves, elephanti herbaceo tantùm pabulo nutriuntur, nec aliâ saginâ pinguescunt. Unde nonnulli colligunt, Herbaceos cibos jumentis tantùm relinquendos: sed errant; comprobavit enim experientia, esse magis secundum naturam humanam boum more, quàm luporum, vivere: oleribus subinde,

subinde, quam carnibus semper vesci. Pomis & aliis fructibus si nostrâ ætate viveretur, faciliùs, quàm olim, fieret; quòd mitioribus eorum generibus nunc abundamus.

Magna pomorum diversitas unde orta.

Hesperidum ad nos hortos translatos dicas. Arborum enim frugiferarum genera in dissitas regiones à naturâ disseminata ita in pomaria congessit industria, ibique diligenti culturâ meliorescere coegit, ut Cœli nostri injurias pati assuescant. Exinde nobis *Persica*, *Armeniaca*, *Punica*; (quorum nomina singulorum natale solum denotant) & alia, quæ viridaria nostra læto virore exornant; aut edentes dulçedine suâ delectant. Et ut fructus generosi ferè ab oriente ad *Europæ* fines pervenerunt; ita inde transeuntes *Americæ* deliciis accesserunt, quæ antea nonnullis fructibus *Homericæ loti* æmulis affluebat, & nunc novâ accessione luxurians reliquo orbi eâ gloriâ antecellit.

Infinita profectò est fructuum ὡραίων diversitas, quæ indies augetur adeò ut *mali* solius species vix numerari queant novis à naturâ, aut culturâ subinde emergentibus, veteribus raiò intercidentibus. Est autem differentia, inter nonnullas, tantilla, ut discrepantiam formæ sentiens, non statim, unde oriatur, discernas. Commodissimè autem eorum naturas indicant singulorum sapores.

Pomorum sapores.

Poma ferè omnia, tam sativa, quàm sylvestria ante maturitatem acerba sunt.

Cum autem calore solari cocta sint, terrenis fructus particulis subactis, & activis exaltatis, pro exaltationis ratione novum habent saporem. Exinde subacida, vinosa, mustea fiunt aut prædulcia:

pauca

pauca verò ſylveſtria, quæ partibus adeò aſperis, & indomitis conſtant; ut nullâ maturitate miteſcant, nec congenitam acerbitatem poſſint deponere.

Alia quidem tandem matureſcunt: ſed ægrè, nec niſi longo aſſervationis tempore, mitigata: talia verò diutiſſimè incorrupta manent. Cùm ea, quæ ad maturitatem citò perveniunt ob laxam partium cohæſionem ſpiritu & Sulphure avolantibus ad corruptionem ſtatim vergunt.

2. Gloriata eſt antiquitas, ſuos proceres, & Imperatores non erubuiſſe *Pomonæ* culturæ non nunquam vacare: unde conſtat, maximam fuiſſe iſtiuſmodi fructuum utilitatem: ſine quâ magnates & ſapientes tantum operæ non impendiſſent. Ab eis etiam antiqua malorum nomina originem ferè habuerunt qualia ſunt *Manliana Appiana*, *Claudiana &c.* quibus ſpecies noſtra ætate celebres adaptare opus perquam difficile videtur: eis tamen nomina in ſuâ vernaculâ invenit *Dalechampius*. *De fructuum horæorum qualitatibus & uſu in cibis ſingulatim conſideratis. Mala. Nomina antiqua.*

Mala à pleriſque non alimenti, ſed oblectamenti gratiâ cruda eſitantur: ex illis tamen, maſſâ pomis autopyri incluſis et coctis fiunt cibaria: quibus ruſtici, et pauperes famem depellunt. Imò etiam divitum menſis artomela, ſed ſiliginea et lautiùs cocta uſitata ſunt epidorpiſmata. Hæc poma ventriculum cruda nonnihil inflant. Sed cocta ſunt ſalubriora: ideò ſub cineribus calidis aſſa cibum ægrotis gratum præbent, et utilem: quod ſi ſubacida ſunt gulæ et ventriculi ardores reſtinguunt, et modicâ aſtrictione nonnihil corroborant. *Eorum uſus in cibo. Et medicinâ.*

Pyrorum

De Pyris. Pyris unde nomen. 3. *Pyrorum* generi sua forma nomen fecit: species verò aliqua occasio singulas discrevit quæ multæ sunt, & plurimùm inter se differunt. Nobilitata veterum pyra an interciderint, an adhuc supersint, incertum est. *Pancirollius* existimavit; ea quæ hodie ab Italis, *Bonos Christianos*, à Gallis *bons Chretiens* appellantur, veterum fuisse *Crustumina*; potiùs *Pompeiana*, censet *Dalechampius*. *Crustumina. Falerna.* Qui aliis veterum celebratis pyris nomina Gallica vulgaria aptavit, ut *Falernum* idem putat ac quod nunc *Burgomet* dicimus quod etiam mihi videtur: Nam hæc eundem bonitatis ordinem apud nos obtinent, quem ista apud Romanos veteres tenebant. De quibus *Plin. lib.* 15. *cap.* 15. Cunctis sunt *Crustumina* gratissima, proxima *Falerna*: quoniam tanta vis succi eis abundat. *Eorum sapores & usus.* Sed cujuscunque sunt nominis pro sapore, qualitatibus differunt pyra. Nam laxant dulcia: acida, & acerba astringunt. Cocta placent ægrotis, & prosunt: id autem imprimis præstat *volemum*. De pyris *Scholæ Salernitanæ* sententiam hoc versiculo expressam habes.

Cruda gravant stomachum: relevant pyra cocta gravatum. Arefacta stomacho & alvi fluxui auxiliantur. *Pyrastra* nimiâ astrictione edentes suffocare nonnunquam valent.

Uvæ escariæ succosæ. 4. Celebres in veterum mensis uvæ erant, *Bumasti*, *duracina*, *Venucula* quæ à ratione servandi *ollaris* dicebatur: & in locis vitium feracibus, multæ adhuc species, sunt uvarum ad escam, (ut *Columella* loquitur) sed nostra penuria quaslibet maturas in eum usum admittit.

Uvæ succosæ & generoso humore turgentes gu-

stui

ſtui ſunt gratiſſimæ ſed ventriculum nimis inflant; at valde nutriunt: quare vulpeculæ, quibus vineta patent autumno uvarum eſu pingueſcunt, & à venatoribus eo tempore captæ nonnullis in locis cibo ſunt, & vindemiæ quæ adſunt operæ, eâ tempeſtate pingueſcere obſervantur: eâdem vero peractâ ad priſtinum habitum protinùs redeunt.

Caro *acinorum*, modò dulces ſint, alvum laxant, ſed multo magis ſuccus muſteus: ſin auſterarum, aut acidarum ſit, ructus ferunt & frigidum ſuccum generant; aut in ventre corrupta diarrhœas & dyſenterias excitat.

Pelliculæ inteſtina vix mutatæ pervadunt; uti nec ſemina quæ ſicca ſunt, & aſtringentia, & ferè in ſingulis acinis bina.

Et paſſis.

Paſſæ aut ſole ſiccantur, aut furno. Quæ ſolis calore fiunt, pediculo uvæ ita ſecto vel contorto ut humor intercludatur, in vite pendere ſinuntur, donec ſolis radiis ritè coquantur, tales dictæ erant ϛαφυλαὶ πατηθεῖσαι quaſi conculcatæ. Aut (ſi locis ſatis apricis non creſcant) in lixivia è ſarmentorum cineribus facta priùs immerſæ, in areâ apricatione idoneâ græcè θειλοπέδῳ ſolibus exponuntur: unde apud *Dioſcoridem* ϛαφυλαὶ θειλοπεδευθεῖσαι leguntur: ad nos aliquando advehuntur ἀγίγαρτοι, i. e. ſine ſeminibus.

Paſſæ coctæ vel crudæ plurimùm alunt, ſi dulces ſint & pingues alvum nonnihil ſubducunt, Faucium, pulmonum, renum & veſicæ morbis medentur.

Cum Corinthiacis.

5. Adferuntur è *Zacyntho*, *Cephalleniâ* & litoribus *Peloponeſi* paſſulæ dictæ *Corinthiacæ*; quæ in cupediis noſtratium frequentis uſùs ſunt, & comeſtæ

mestæ refrigerant, humectant, febrium ardorem contemperant.

De ficubus. 6. *Ficus* quam alibiles sint, *ficata animalium jecinora* argumento sunt: è quibus ea anserum ficubus pastorum in molem penè incredibilem nonnunqam augentur. Unde illud *Martialis.*

Aspice quàm tumeat jecur anseris ansere majus.
Et ab earum esu *Ficedulæ*, Italis hodie *Beccafigos*, veterum & recentium epulares deliciæ & nomen & saporis præstantiam invenerunt.

Caricæ. *Caricæ* propriè erant ficus è *Cariâ* delatæ; sed hodie pro quibusvis siccis sumuntur: idem sunt recentibus, quod uvis turgentibus passæ. sunt totæ præter κεγχραμίδας nutritiæ: at ob phthiriasin, quam sæpiùs comestæ parere creduntur, (nescio quàm justè) malè audiunt: forsan à signaturâ hoc petitur, quòd granula sub ungue modo lendium crepant: sed signatura parùm concludit. Utcunque *Mithridatis* regis nobilitatum Antidotum ingrediebantur. Et in morbis malignis sunt utiles. Vires reficiunt, alvum subducunt, frigidis pectoris & pulmonum vitiis opitulantur. Palathas è caricis in formas pressis nonnulli vice casei edunt.

De Prunis. 7. Magna est prunorum diversitas, & aliquorum ea pravitas, ut porcis, potiùs quàm hominibus conveniant. Ideoque nostrates annum hujusce fructûs admodum feracem fore funestum pronunciant.

Sativorum magna, ratione figuræ, coloris, & saporis, differentia: sylvestrium multo minor. Omnia sunt frigida; sed dulcia non perinde, atque acida, aut vinosa.

Dulcia recens decerpta primis mensis assumpta alvum

alvum emolliunt, ſiccata nutritioni ſunt accommodatiora, eademque cocta ventrem moderatè ſolvunt.

Eis, qui debili ſunt ventriculo, à dulcium eſu omnino temperandum, nè εὐτονίαν ampliùs labefactent: nec pituitoſis, aut ſenibus proſunt: acida, acerba, & auſtera ſtomacho magis ſunt amica, cujuſmodi ſunt parva illa, nigra, agreſtia quæ paſſim in incultis creſcunt; quorum ſuccum pro *Acaciâ* ſubſtituimus, eique nomen *Acaciæ Germanicæ* nonnulli adaptant. Exſiccatis optimæ notæ erant olim *Damaſcena*: ſecundas tulerunt *Hiſpana*: noſtris *Gallica* in uſu ſunt; *Germanis Hungarica, aut Moravica.*

8. *Perſica & Armeniaca* regiones unde erant oriunda, deſignant, ut plerique fructus ſolent: aliis quibuſvis pomis, quibus inſunt πυρῆνες, i. e. oſſa, ſapore præſtant. Utrumque, ut aliis fructus fugaces, oblectamenti potiùs, quàm alimenti cauſâ eduntur, quod parciùs præbent: frigida ſunt & humida calidis juvenum ventriculis & πικροχόλοις, magis conveniunt, quàm ſenibus, aut pituitoſis. Humidiora ſunt Perſica itaque *Galenus. lib. 2. de aliment. fac. cap.* 19. præcipit, ordinate ſumenda: nam facilè in ventre corrumpuntur. Viderint igitur, quorum intereſt, quam rectè Locupletum menſis ſecundis adhibentur, & hæc, & alia humida, mali ſucci, quæ facilè putreſcunt. Nam inde naſcuntur choleræ, dyſenteriæ, lumbricorum & aliorum morborum ſemina. *De pomis Perſicis, & Armeniacis.*

9. *Palma* arbor nobilis regionibus tantum calidis innaſcitur; ejuſque multa genera inveniuntur. Fructum in Italiâ profert nullum, in Hiſ- *De Palmulis.*

paniâ immitem: at Afros præsertim Numidas eâ copiâ dactylorum dulcium nutrit: ut inde veterem regionis appellationem mutârit. *Numidia* enim olim dicta, nunc B*iledulgerid.* i. e. dactylorum regio nominatur. Multis orientis populis hic fructus cibum, panemque præbet, aliis vinum. P*almulæ* aliæ siccæ sunt, & astringunt, aliæ molliores, humidæ & prædulces. *Ægyptia* dum viridis, acida est, & sitim commodè restinguit. At præ maturitate nigrescens P*hænicobalanos* dicta inebriat; omnes prædulces caput gravant. Unde καρυωτὰι videntur appellatæ: tales *Galenus lib. de aliment: fac.* censet hepatis & lienis obstructiones parere. Omnes sunt concoctu difficiles, & crassum succum præbent, unde Numidæ, qui eis fere victitant, scorbutici sunt, & præmaturè edentuli. Virides magis nocent. Milites quidam ex *Alexandri* exercitu in *Gedrosiâ* eis strangulati sunt. P*lin. lib.* 13. *cap.* 4. Omnium præstantissimæ olim P*alæstinæ Hierichunte* natæ sunt habitæ.

De siliquis dulcibus id est Ceratiis. 10. In plagis etiam tepidis nascuntur siliquæ dulces, Italis & Hispanis C*arobæ* aut *Algarobæ*, Græcis κερότια. Harum esum *Galenus lib. de aliment. fac.* improbat: quod sint difficilis coctionis. Ad orientem tamen sunt pauperum dapes, sed & porcorum. Et istis juvenis prodigus in *Evangelii Lucæ cap.* 15. exaturari voluit. Recentia ceratia ventrem subducunt, siccata verò sistunt.

Malum Punicum. 11. *Mala punica*, *Medica*, *Limonia* etiam, & A*urantia*, mensis quidem ancillantur; vix tamen ullâ sui parte cibi sunt; sed languentis gulæ irritamina, & condimenta.

Malum

Malum, quod Græcis est ῥοιὰ, latinè Punicum à regione ubi optima proveniunt; aut à materiâ, quam continet, *Granatum* appellatur. Triplex Punicorum genus est. Acidum, vinosum, & dulce. *Punicum unde ita dictum.* *Eorum genera.*

Acida, & vinosa appetitum prostratum excitant, & refrigerant; nullum eorum genus non astringit sed dulcia cæteris debiliùs id præstant. *Virtutes.*

Cortex etiam hujus pomi, qui *Sidion, & malicorium* dicitur, & flores, *balaustica*, aut *cytini* in officinis dicti vim astrictoriam habent, granulorum quoque pulvis insperſus omnimodum profluvium sæpe sistit.

12. *Malum citreum* patrio nomine dicitur *Medicnm*. Nam Media sola olim istius pomi arbori fuit natale. At hâc ætate. In *Italiâ*, *Hispaniâ* aliisque occidentis plagis non admodum frigidis, invenitur. Hæc malus olim cedrus appellata est; licet ab alterâ, quæ *Cedrelate* est; fructu, & folio sit diversissima. Nam foliis laurum refert; Et inquit *Virgilius* de eadem locutus: *Si non alium jactaret odorem, Laurus erat.* Sed *unedonis* folium habere putat *Plinius*: partes hujus pomi qualitatibus differunt. Semen enim & Corticis flavedo calida, & sicca sunt. Candidâ substantiâ, quæ ei subest, frigida, & crassa. *Malum Medicum Citreum.* *Ejus arbor dicta cedrus.* *Ejus vires.*

Pulpa verò & succus ejus vinosus refrigerat, & exinde sanguinis effervescentias sedat, sitimque restinguit: cortex siccus commandagatus oris hælitum commendat. *Olentia Medi Ora fovent illo. Inquit Poeta Georgicon* 2. Denique totum pomum quavis sui parte cardiacum & alexeterion

terion est. Quare in Ægypto quidam capite damnatus & ad supplicium ductus, quòd malum citreum in viâ gustavisset, serpentum morsus impune tulisse perhibetur.

Limonia, & Aurantia. Ubi nascuntur. Arboribus, quæ *Limonia, & Aurantia*, fructus mali citrei affines, pariunt, oriens fuit patria unde in ultimum occidentem paulatim migrârunt. Septentrionis frigus non ferunt. Quare licèt apud nostros à curiosis animi gratiâ servantur, ad bonam frugem nequeunt produci. Pro Cœli, solique, quibus crescunt ratione multùm variantur. Nam in *Chinâ* & quibusdam *Indiæ* locis aurantia sunt ingentia, cortice tecta esculento, & succo mitissimo repleta. In occidente sunt multo magis immitia.

Limonia. *Limonia* ut citreorum colorem & figuram, ita eorum virtutem cardiacam aliquatenùs æmulantur, non omnino æquant. At in pharmacopoliis pro eis substitui solent.

Aurantia. *Aurantia* ab aureo colore habere nomen videntur; quasi *Chrysomela*. Aurea autem mala *Virgilii* alia erant. Nam *Plinii* ætate Italia poma vix habuit. A *Nicandri* interprete citrea *Nerantzia*, voce ab hac nostrâ haud multum abludente dudum dicta sunt.

Eorum usus & virtutes. Hæc poma, quotquot acida, aut vinosa sunt ad citreorum naturam prope accedunt: non omninò assequuntur.

In mensis appetentiam cient; in medicina febriles æstus sedant, sudorem promovent, scorbuticis prosunt, venenis resistunt.

Myxa i. e. Sebesten. 14. *Myxa* vulgò *Sebesten* prunis Damascenis minora sunt, in pharmacopoliis, quàm mensis notiora. Hæc poma Syriâ oriunda Italiæ

Horti

Horti nunc passim habent.

Myxaria comesta multùm nutriunt, sitim restinguunt, linguæ ariditatem & scabritiem tollunt, alvum laxant, pectoris vitiis auxiliantur. *Virtutes.*

16. Arborem, cujus fructus recentioribus *Zizypha*, Arabibus, & officinis *jujubæ* dicuntur, ante novissima Augusti tempora Italia non habuit: tùm demum *Sextus Papinius* eam è Syriâ primùm intulit. *Plin. lib.* 15. *cap.* 14. Calidæ regiones eis jam abundant, sed plagas Septentrioni vicinas minimè ferunt. *Zizypha. Unde orta.*

Jujubæ recentes, maturæ, & integræ, humidæ & calidæ sunt. Vinosi succi grato sapore gustui placent. Tracheæ asperitatem leniunt; tussientibus, & hæmoptoicis prosunt: ad urinæ ardores, & difficultatem utiles sunt: renum & vesicæ dolores mitigant. *Eorum facultates & in medicina usus.*

16. *Olivæ* maturæ & siccatæ ad nos raro vehuntur uti nec recentes δρυπεπεῖς. *Olivæ.*

Sed *Halmades*, id est, salsugine conditæ inter nostra appetentiæ irritamenta præcipua habentur. Triplicis generis meminit Virgilius, *Orchitii, Radii, &* P*ausiæ.* optimè condi orchites, & pausias censet P*linius*, ad nos vehuntur Majores carnosi P*linio Sergianæ*, & minores, macræ è Liguriâ. *Conditæ quales.*

Halmades ventriculum roborant, astringunt, nauseam reprimunt sed parum alimenti præbent. *Earum dotes.*

17. *Capparis* fructus, aut potiùs flosculi nondum explicati gulam fatigatam, & quasi invitam ad appetentiam excitant. Hepatis & splenis oppilationes reserant. Hos olim *Alexan-* *Cappares à quibus utiles.*

dria, nunc in primis *Genua* mittit.

Flores Genistæ. Virentes *Genistæ Flores* muriâ conditi capparum usum & virtutes æmulantur.

De cerasis. Cerasa. 18. *Cerasos* ante victoriam *Mithridaticam Luculli* Italia non viderat: spatio verò 120. annorum in Britanniam usque pervenerunt. *Plin.* ubi nunc diligenti cultura cerasa proveniunt eximia. *Plinii* tempore principatus erat *duracinis*; quæ conjicio nostra esse dicta *Hart Cherries*. Et præter ista in precio erant, *Aproniana Juliana*, & alia. Nobis item multa sativorum sunt genera: & duo sylvestrium, quorum frequentiora sunt nigra. *Eorum sapores & usus.* Cerasa pro sapore facultatibus differunt. Acida sunt, aut dulciora: hæc minùs refrigerant; sed citiùs descendunt. Illa sitim restinguunt, & appetitum excitant; nec, si hæreant, ità facile in ventriculo corrumpuntur. *Laurocerasum Trapezunticam* nonnulli ad cerasorum classem ob fructuum similitudinem referunt: sed laurocerasi fructus est calidior, nec stomacho perinde placet.

Corna. 19. *Corni maris fructus* & ruber, & pallidior ubi copiose crescit, frequens estur, & jucunda austeritate multùm placet. Alvum laxam modicè astringit.

Cydoniorum. Quot species. 20. *Cydoniorum* nostra ætas quatuor, aut quinque species numerat: *Dioscorides*, & *Galenus* duarum tantùm meminerunt, *Columella* trium. *Usus & virtutes.* Mitissima eorum sunt, quæ vulgò dicuntur *Lusitanica*; sed nec ista austeritate multâ vacant: reliqua non maturitate sed coctione solâ mitescunt. Ita autem parata refrigerant, astringunt, & nutriunt. Ante cibum sumpta alvum constipare, post mensas laxare dicuntur.

Addamus

Addamus aliam Cydoniorum virtutem ex *Athenæi lib.* 3°. *dipnosophist.* Nimirum quòd contra toxica imprimis valeant. Itaque fertur; Milites *Hispanos*, contra *Afros*, pugnaturos Cydonia poma secum in aciem tulisse, ut sicubi à telis pharmaco illitis læderentur, præstò essent efficacia remedia. Multi nominis, & usus apud nos est cydonites è Cydoniis cum melle aut saccharo decoctis, quem dulciarii nostri voce Lusitanicâ *Mermillade*, vulgò vocant: Lusitanis malum cotoneum *Mermillo* appellatur. *Contra toxica valent.*

21. *Ribes*, & *grossulæ* fructus sunt nobis notissimi cùm de utrisque apud veteres altum sit silentium nisi grossulæ sint fructus κιανώθυ à *Theophrasto lib.* 4. *cap.* 11. memorati, & frutex quæ ribesia fert, sit ejusdem *Isos. lib.* 3. *cap.* 17. *hist.* facultates, quas *Serapio* ribesiis Arabum attribuit, nostris ad amussim quadrant: sed plantæ descriptio prorsus discrepat: forsan hæ plantæ in Græcia, & *Asia* vix inveniuntur. Certè Siculi non ita pridem D° *Rajo* grossulariam pro rarâ, & exoticâ plantâ in horto, multâ curâ, *Messanæ* asservatam ostenderunt. *Ribes & grossulæ. An veteribus innotuerint ambigitur.*

Uterque fructus refrigerat, subastringit, bilem efferam mitigat, & sitim restinguit. *Utriusque virtutes.*

22. *Fraga* refrigerant, & humectant, bilis æstum sedant, & sunt antinephritica: at facilè putrescunt. Idem de moris, & fructu rubi Idæi dicatur, nisi mora συκαμινέας plane matura alvum nonnihil solvunt. *Chamæmora* sunt stomacho grata, & utilia; quibus ad satietatem comestis scorbutici in *Norwegiâ* pene deplorati feliciter sanantur. *Catius* apud *Horatium* mora ante solis ortum legenda his versibus innuit. *De fragis, fructibus rubi Idæi & moris. Fragorum facultates. Mororum, &c. Qualitates.*

Ille

Ille salubres
Æstates peraget; qui nigris prandia moris
Finiet; ante gravem, quæ legerit arbore, solem.

Certè de ordine sumendi erravit: malè enim (docente *Galeno*) talia prandium claudunt.

De vacciniis montanis, & Palustribus.
Vacciniorũ sylvestriũ vires.
Palustriũ usus.

23. *Vaccinia, fructus vitis Idaæ*, apud nos copiosè nascuntur, & comesta refrigerant, & astringunt ardori ventriculi auxiliantur: nauseam sedant. *Palustria* uliginosis tantum locis provenientia, ab istis montanis specie quidem differunt, at facultatibus consentiunt. Porrò *Dodonæus* tradit: vaccinia palustria morbis pestilentibus resistere: certè utraque bilis ferocientis impetum compescunt.

Mespilorũ species.
Virtutes.

24. *Mespilus major Theophrasto, & Plinio Setanica* naturâ melior, aut; insitione proficiens, poma, quàm vulgare genus longè majora profert quæ aliquando albescunt. *Mespila Aronia, sive Neapolitana* reliquis sunt mitiora omnia eorum genera asservatione emollita commodè eduntur; at vehementèr astringunt: itaque diarrhœæ, & Dysenteriæ nonnunquam medentur.

De sorbis. Sorb rum species.

25. *Sorborum* duæ, aut plures sunt species; quarum præstantior poma fert juglandium paria. Quorum nonnullis, inquit *Plinius*, mali est rotunditas, aliis pyri turbinatio, aliis ovata species. Fructus sorbi sylvestris minor est, & quoddam ejus genus torminale dicitur.

Fructus Ariæ Theophrasti. Usus eorũ.

Ariæ Theophrasti, (*Nostris the white beam*) fructus sorba specie, sed pyrastra sapore, & aliis qualitatibus referre videtur: horum poma in suâ arbore mitescunt, omnia mespilorum vim astrictivam habent.

Arbutus

26. ***Arbutus*** in orientalibus plagis frequenter invenitur, vix in Britanniâ, sed in Hiberniæ provinciis occidentalibus ſponte naſcitur, fructus ejus *unedo*, dicitur, pomum inhonorum, cui nomen argumento ſit unum tantum edendum. Specie fragum refert; magnitudine longè ſuperat. Auſterus eſt, & plurimum aſtringit. *Galenus* capiti, & ſtomacho nocere tradit: tamen ruſticorum famelicis gulis ſæpe placet. *Unedo ubi naſcitur.* *Unde nom.* *Vitia ejus & uſus.*

27. In ſepibus, & culinis noſtris noti ſunt *Oxyacanthæ fructus, vulgò Berberes*, qui refrigerant, aſtringunt, atque incidunt, ventris quoque tineas necant; cœliacis, dyſentericis, & eis qui cibum rejiciunt, auxiliantur; illis item, quibus bilis ab hepate in ventriculum regurgitat in ſanguinis excreatione, nimioque menſium profluvio proſunt. *Fructus Oxyacanthæ officin. Berberes. Earum uſus.*

28. ***Cynosbatus*** à cane nomen habet; homini non inutilis: fructus enim, oſſiculis hirtis priùs exemptis, coctione emollitur & pulpa indè facta cum ſaccharo, aut melle condita in menſis ſecundis non ineptè ponitur: refrigerat, ſiccat, & potentiùs, quàm rubi fructus, aſtringit. *Gal. li.* 2. *De al. fac. cap.* 14. Hæmoptoicis, et calculoſis prodeſſe putatur. Diarrhœis, et dyſenteriis medetur. *Dioſcorid.* *Fructus Cynosbati. Ejus uſus.*

C A P.

CAP. IV.

Nuces & Glandes.

Amygdalæ dulces. Earum usus & Virtutes. 1. NUces usitata puerorum pægnia à re cibariâ non excluduntur. Ex *Amygdalis enim dulcibus* tragemata fiunt elegantissima, & exprimitur succus Lacteus, tabidis, hecticis, pleuriticis & nephriticis utilis. Optimæ sunt, quæ recentissimæ. Temperatè calidæ sunt, & humidæ; alimentum optimi succi, & copiosum præbent: humorum acrimoniam tollunt.

Amararũ. fac. Amygdalæ amaræ medicinæ potissimùm inserviunt. Calidæ sunt, et siccæ; aperiunt, tenuant, incidunt: ante compotandum sumptæ ebrietatem protelant: urinam movent.

Strobilorũ fac. 2. *Strobili, seu nuces pineæ* recentes, sunt moderatè calidæ et humidæ: succum laudabilem faciunt, lac et semen augent: tabidis et phthisicis prosunt. Vetustis gratia perit, nam fædè raucescunt oleosæ factæ.

Pistacia. 3. *Pistacia* calfaciunt, et humectant; stomacho et gustui arrident, nauseam sedant, et bonum alimentum exhibent; emaciatis igitur *Quibus prosunt.* hecticis et tabidis, conferunt: nephriticis etiam prosunt.

Nux vesicaria. 4. *Nucis vesicariæ, sive staphylodendri* fructus in quibusdam *Angliæ* et *Germaniæ* locis nascitur. Germanis suum Pistacium dicitur.

Cujus

Cujus species à *Scaligero* habetur: credo ob formæ similitudinem, sed utcunque formâ conveniant, aliis qualitatibus δὶς διὰ πασῶν discrepant. Pistacia enim stomacho grata & utilissima sunt: nuces verò vesicariæ eundem graviter turbant. Eduntur tamen à rusticis, quorum ilia exurdata quidvis ferunt. *Non pistacii species.*

5. *Juglandes* etsi regiæ nuces, & Διὸς βάλανοι audiant, nihil tamen continent: quod eas magnificè commendet. Sunt enim concoctu difficiles, capitis dolorem, tussimque cient, adeò ut nux à nocendo sit veriloquium. At cum rutâ, ficubus, & modico salis *Mithridati*, *Ponti regi*, insigni Alexipharmaco erant: cujus ope ab omnibus veneni insidiis diu immunis perstitisse perhibetur. Veteres harum nucum pinguescunt; recentes sunt ori gratæ. Virides integræ saccharo ritè conditæ maturarum vitia corrigunt: stomachum enim corroborant, & digestioni conferunt. *Juglandes.* *Facultates.*

6. *Avellanæ nuces*, *Macrobio Prænestinæ*, *Plinio Ponticæ* si veteres, puerili Lusui, quàm esui magis accommodatæ sunt: recentes autem gustui placent. Juglandibus magis frigidæ sunt, humidæ & flatulentæ. *Avellanarum nomina.*

Concoctioni non facilè cedunt: ventriculum gravant, parcè alunt, at copiosiùs quam juglandes. *Dioscorides* scribit stomacho adversari. *Plinius* verò, Capitis dolorem facere, inflationem stomachi, & corporis pinguedini conferre, id est, ἰσχναντικὴν vim habere. *Qualitates.*

7. *Castaneæ à Castano Magnesiæ* oppido, *Sardianæ à Sardibus* dicuntur, notæ nuces sive glandes mavis dici: appellantur etiam κάρυα εὐβοϊκὰ *nuces Euboicæ*. Castaneas etiam *Theophrastus*, & *Dio- Castanearum.*

scorides

scorides Διὸς βαλάνες *Jovis glandes* nominarunt. Et omnium glandium optimas pronunciat *Galenus. lib. 2. de Aliment. fac.*

Qualitates. Siccæ sunt, & aliquantulum calidæ, flatulentæ, ægrè concoquuntur, crassum succum faciunt, at multum nutriunt.

Antiqui homines glandibus victitarunt, & *Plinii* ætate mensis secundis glandes per Hispaniam inferebantur, sed verisimile est, istas glandes castaneas fuisse.

Glandes Fageæ. 8. *Glans fagina* omnium dulcissima *Plinio*. Et hic antiquorum cibus erat: unde nomina fagus, & φηγὸς παρὰ τὸ φάγεσθαι ab edendo. Calidæ sunt, & humidæ, jam potiùs porcorum sagina, quam hominum cibus: at comestæ lithiasi prodesse putantur.

CAP.

CAP. V.

De fructibus cucumerinis. De Melone & aliis quibusdam.

1. GRandes iſtos fructus *Melonas*, *pepones*, *angurias*, & *Citrullos*; qui è ſemine plantæ annuæ ad tantam molem, brevi ſpacio augentur, crudo, aqueoque ſucco ferè conſtare neceſſe eſt: è quibus Melo quem nonnulli *Galeni peponem* fuiſſe volunt, etſi jucundè ſapiat, & aromaticum quid oleat, tamen facilè in ventriculo, niſi citò deſcendat, corrumpitur. Ab hiſtoricis memoriæ traditur plurimos magnates ab imprudenti eorum eſu interiiſſe. Ventriculo enim putreſcentes virulentam naturam induunt. Unde choleram, colicam, alioſque morbos periculoſos excitant, quare primis tantùm menſis tutò eſtur & cum pane, ſin à melone comeſto metus ſit alicujus incommodi; hauſtus vini generoſi, quod malitiam inchoatam retundat, ſatis amplus, optimum remedium eſt. *Fructus cucumerini. Melonum natura. Sunt periculoſi.*

2. *Pepones*, quos nos habemus ingentes, pravi ſunt ſucci, minimique: à ruſticis tamen fere & pauperibus cocti cum malis ſylveſtribus, & cepis, ut aliquod ſapiant, eduntur: urinam comeſti cient. *Peponis qualitates.*

3. *Cucumeres ſativi*, *anguriæ* ſunt aliquanto melioris, ſed non admodum laudabilis ſucci: refrigerant, & humectant, ſed cæteris affinibus minùs. Immaturi in acetariis ſale, pipere, alioque conditi commodiſſimè ſumuntur: & ita parati valido, & ferventi ventriculo meliùs conveniunt: *Cucumeris ſativi facultates. Quibus prodeſt.*

at

at illis, qui infirmo ſunt ſtomacho, ab eis utcunque paratis, abſtinendum eſt. Hic fructus, quod Nitroſus, & vi ſmecticâ ſit præditus, lichene ſeu impetigine laborantibus comeſtus prodeſt.

Citrulli ubi naſcuntur. 4. *Citrullis*, à citreo colore ſic dictis, noſtri Cœli, ſolive vix patientibus, Græcia, & Italia abundant. Unde ad nos aliquando feruntur & hos nonnulli *Dioſcoridis, & Galeni*, *pepones* fuiſſe contendunt. Certè ad pepones noſtros formâ proximè accedunt, nonnunquam mole ſuperant. Intus materiam continent, per quam humidam, ferè dulcem, ſed interdum ſubacidam. *Variæ eorum ſpecies.* Variæ ſunt eorum ſpecies; ſed omnibus vis refrigeratrix, & humectans. *Temperies.* *Uſus.* Lac è ſemine expreſſum febrientibus, & cuivis calidæ intemperiei inſigni remedio eſt.

Citrullorũ Ægyptiorum moles. Ægyptus hujuſmodi fructus habet Europæis longè grandiores; imo tantos; ut, teſtatur ita *Bellonius*, quatuor, aut ſex juſto oneri eſſent camelo, qui laticem continent potu jucundiſſimum, *Uſus.* quem aquâ roſacea & ſaccharo temperantes hoſpitibus, ut rem gratiſſimam exhibent, quos grato refrigerio & ſalubri delectat.

Cucurbitæ. 5. *Cucurbitæ* Cœli temperie, quam noſtra, mitiori delectantur: itaque, quæ locis frigidiuſculis *Earum ſpecies.* naſcuntur, ſpecie, quàm ſapore magis placent. *Plinius* duplicem earum ſpeciem, *Camerariam* & *plebeiam* exhibet; alii plures. Quæ omnes *Earum facultates.* idoneam Cœli cocturam nactæ cibi ſunt expetendi. Facultates fructuum affinium omnino æmulantur, refrigerant & humectant ordine ſecundo.

De Agno Scythico Zoophyto. Agnus Scythicus. 6. Ad melonum claſſem redigi poteſt *Agnus Scythicus*, inſigne Tartarorum Zoophyton Caſ-

pii

pii Accolis dictum *Borometz*. Est enim non aliud, quàm Hirsutum peponis genus, Tartariæ peculiare. Nugæ sunt, quæ de ejus sanguine, esu graminis, & sensu prædicantur: materiam perhibetur tenerrimam & esculentam continere, ideo forsan lupis gratam; ut narratur.

7. Plantæ, non magis quàm cucumer, durabilis, sunt *poma cucumerina aurea*, nonnullis *poma amoris*; quæ aliquantò minùs quam mandragoras refrigerant. Et hæc cum cucumerum condimento cocta eduntur, sed corpori alimentum exiguum comesta præbent. *Poma amoris.* *Usus.*

8. Nec *mali insani* epitheton luxuriosas aut famelicas gulas ab ejus esu deterret. *Bellonius* testatur hunc fructum in Ægypto sponte, & triplo majorem, quàm in Galliâ provenire. Existimat etiam esse *Theophrasti malinathlam*, sed errat. Herba enim cum *Theophrasti* descriptione non convenit. Hæc poma cum pipere, oleoque quibusdam placent, præstat autem parcè aut non omnino sumere. Sunt enim pessimi succi & minimi alimenti. Sed, proh gulæ vanitatem! à *Mandragoræ*, & *Stramoneæ* fructibus maleficis non abstinetur: quorum hujus semen nux *Methel* Arabum esse *Matthiolo* videtur: cui sententiæ *Serapionis* descriptio non refragatur. Alter odore solo nocet quod in se ipso expertus est *Levinus Lemnius* in *explicat herb. cap.* 4. *Mala insana.* *Eorum facultas.* *Mandragoræ & stramonea.*

Et malum insanum, & poma Amoris fructibus solani pomiferi à Botanicis annumerantur.

8. *Cinara, seu scolymus*, cardui hortensis fructus, linguis vulgaribus penè cunctis *Artichoca*, aut nomine inde deducto dicitur, ab ἀρ[illegible] . *Cinara.*

quo nomine *Trallianus* istos fructus denotat. *Galeno* Κύναρα. *lib. 2. de aliment. fac. cap.* 51. nominatur.

Qualis cibus. Pars alba, quæ pappo subjacet, cruda cum sale, & pipere comesta flatulenta, & difficilis concoctionis est. Diuresin verò ciet & venerem stimulat. Nisi isti effectus piperi, quicum estur, potius tribuantur. Jure decocta, aut pastâ inclusa & furno emollita meliùs sapit, faciliùs digeritur & venerem similiter irritat.

Fungi. 10. Audax omnia experiri humana gula *fungos* ferè insipidos, & alieno tantum sapore placere doctos inter delicias insanas habet: quos tamen multi palatis non indoctis rejiciunt. Eosque gentes, quæ Teutonissant, suis idiomatis, *Bufonum sedilia* aut *Lemurum panes* nominant?

Nero. βρῶμα θεῶν. *Nero* quidem, ut refert *Dion*, fungos βρῶμα θεῶν fuisse dixit, quòd eorum usu *Claudius* in divos relatus sit; cui ipse nefariè successit, terris gravius, quàm quod *Claudius* ederat, venenum.

Periculosi. Hoc cibi genus tota convivia, & familias interemit. Unde *Plinius* exclamat. Quæ tanta cibi ancipitis voluptas, ut Epulones fungos, cum periculo, avidè vorent, & raptim condimento mersatos penè fumantes demittant.

Boleti & amanitæ. *Boletos, & amanitas* eorum optimos esse salgamarii statuunt: sed nullis temerè fidendum.

Usus & Vitia. Fungi autem rite collecti & conditi gulæ blandiuntur, sed largiùs assumpti, utcunque tractati, sanitati obsunt. Ægrè enim concoquuntur, & interdum strangulant, aut choleram excitant. Pyrastra unà cocta eorum malitiam emendare dicuntur. Vinumque generosum eisdem comestis præsenti remedio esse fertur.

Malitiæ fungorum remedia.

Nonnullis

Nonnullis mel hujus voluptuarii veneni proprium antidotum habetur.

Sed sunt fungi quidam adeò venenati; ut vel olfactu interimant. *Quidam sunt olfactu venenati.*

11. Terræ tubera in locis sabulosis, & siccis Italiæ & Galliæ, ubertim nascuntur, & verno tempore potissimum effodiuntur. Callosa est substantia, sine radice, aut fibris; sed in volvâ, ceu ovi luteum includitur, post imbres autumnales, & tonitrua uberiùs generantur, terrâ genetrice non extuberante, nec rimas agente. Idcirco Insubres suum operâ in eis exquirendis utuntur, sues enim in agros, quibus crescunt, immissi latentia tubera olfactu venantur à quibus inventa statim præripiuntur. *Tubera. Quid sint.*

Cocta, & cruda edi possunt, & sunt quibuslibet fungis magis innocua. Alimentum præbent crassum & subfrigidum; & reverâ perpaucum. *Usus in cibis.*

At bonum succum eadem *Diphilus apud Athenæum* censuit præstare. *Dotes.*

Alii autem asserunt immodicum eorum esum ventris tormina parere: *Avicenna* paralysin, aut apoplexiam. *Vitia.*

CAP. VI.

De olere.

Olera. 1. Quod in plantis tenerum eſt, nec guſtui ingratum inter olera numeres. Quæ *Theophraſtus* innuit aliqando arboreſcere; nam *dendrolachanis* meminit. In multis *Americæ* tractibus inveniuntur arbores, quibus in vertice frondium & cymarum glomeramen braſſicæ capitatæ ſpeciem præbet, & ſi coquas ejuſdem uſum.

Dendrolachanis.

Braſſicæ. 2. In cibis oleraceis *caules* utramque faciunt paginam. Sed *braſſicæ capitatæ* maxima utilitas, & in criſpâ ſaporis excellentia, quarum laudibus *Chryſippus* medicus olim volumen dicavit, & Jones per cramben vulgò jurabant: ut Ægyptii ob beneficia cepam vel porrum adoraverunt. Sed braſſica eorum numen non fuit; quòd illic propter amaritudinem non eſtur. Ante potum comeſta ebrietatem protelare dicitur, à Potatione ſumpta crapulam diſcutere. *Eraſiſtrati* ſchola eandem ſtomacho & nervis utilem aſſeruit; ideoque tremulis & paralyticis convenire. *Hippocrates* Cœliacis, & dyſentericis bis coctam exhibuit: ſanguinem excreantibus prodeſt.

De braſſicâ hæc eſt ſcholæ Salernitanæ ſententia.

Jus caulis ſolvit, cujus ſubſtantia ſtringit.

Naſturtii. 3. Perſarum juventus *initio imperii* priuſquam luxus

luxus fatalis emerserat, venationibus bene exercitata, *nasturtio* non temere vescebatur. Nam sensus acuit, vigoremque animi, & corporis conciliat. Unde torpentibus, & somnolentis *proverbio* nasturtium edere jubemus. Nostratibus etiam, ineunte vere, multo est in usu: quòd sanguinem emundet, & *scorbuti* specificum sit remedium. Multa ejus sunt genera, & affinia, *aquaticum*, *hortense*, *iberis*, *seu pratense*, *barbarea seu hyemale*, quæ omnia, quod sale volatili abundent, in hoc conveniunt, salinas, terrestresque in sanguine particulas nimis fixas confringunt, & labes ejusdem eliminant: itaque scorbuticis penè deploratis nonnunquam subveniunt. *Facult.*

4. *Urtica*, *aparinæ*, *& lupuli salictarii*, *turiones* & aliæ in *vere* tenellæ herbæ, ad sanguinis mundificationem, inter cibos non sine ratione & successu vulgò adhibentur. *De urticâ, aliisque quæ sanguin. purificant.*

5. A lactis soporiferi copiâ *lactuca* nomen adepta videtur: & ab *Augusti* convalescentiâ olim celebritatem: ejus enim usu Antonius Musa illum ægrotantem conservasse dicitur. Varia ejus sunt genera; sed natura omnibus refrigeratrix. Somnum conciliat, bilis æstum compescit, lac & sanguinem auget; copiosum & laudatum suppeditans alimentum: veneri tamen refragatur sæpius & copiosè comesta. *Lactuca.*

6. *Asparagos* tenerosque *corrudæ* cauliculos verno tempore, elixos edi notum est; & sunt stomacho utiles, facilè descendunt, & diuresi conferunt, sed parcè alunt, ut terebinthina, & nux myristica cum maci urinæ fragrantiam violaceam conciliat, ita è contrà asparagi comesti lotium fœtidum deturbant. *Asparagi. Ejus facultates.*

 7. Va-

Cichor. Intubum &c.

7. Varia *intubi* genera, & *cichoreum* cibi ſunt oleracei, non minùs utiles, quàm facilè parabiles; quibus accedunt *malvæ*, & *Lapathum*, Imò *Blitum* utut inſipidum, *Betæque fatuæ* ſunt fabrorum prandia; *Italorum*, quidem & *Hiſpanorum*, rariùs *Anglorum*, aut *Belgarum*, qui carnibus & lactariis abundant, eiſque potiùs delectantur. Utraque *beta nigra*, & *candida* mali ſucci eſt διὰ τὸ ἐν αὐτοῖς νιτρῶδες, inquit *Dioſcorides*. Intubus, & cichoreum ſanguinem refrigeranr, ſtomacho ſunt grata, nonnihil aſtringunt: Malvæ ventrem durum emolliendo corpori gravi ſunt ſalubres.

Lăpſana, Sonchus, Crithmũ.

8. *Lampſana*, *Sonchus*, & *Crithmum* apud multos præſertim tenuioris ſortis λαχανεύεται. Lampſana ſtomacho utilis eſt: ſonchorum vis eſt refrigeratrix: Crithmum crudum, aut pro olere coctum, & muriâ etiam conditum eſtur. Utcunque ſit ſumptum, dyſuriæ medetur. *Ononis* etiam à nonnullis eodem modo tenera adhuc, necdum ſpinoſa muriâ conditur, & in cibis eundem obtinet effectum, quem habet Crithmum.

Hippoſelinum, ſeu ſmyrnium.

9. *Hippoſelini* (quod Romanorum fuit *olus atrum*) radix cruda, & cocta eſtur, eis qui ſtranguria laborant utilis, Italis jam *Seleri* dicitur.

Eleoſelinũ paludapiũ Eleoſelini facultates.

10. *Eleoſelinum*, & crudum, & coctum cibo eſt; radicis ramenta cum oleo, & aceto comeſta ventriculi cruditates, & inflationes tollunt et ſemen vino decoctum à phalangio morſis ſpecificum remedium eſſe dicitur.

Myrrhidos uſus.

11. *Myrrhidos* adhuc teneræ omnes partes res cibaria æquè, atque medica vendicat; nec injuriâ; tota enim planta optimè ſapit, aliiſque herbis, qui-

quibuſcum commiſta eſt ſaporis gratiam conciliat: ventriculum calfacit, & flatus diſcutit: cruda eſtur, & cocta: ſed coctionem, ob partium tenuitatem, non fert: urinam, menſes, & veneris appetentiam ciet, cardiaca eſt pleuriticis, & contuſis prodeſt.

CAP. VII.

De Radicibus eſculentis.

1. POſt cibos oleraceos à foliis, & herbarum ſcapis deſumptos, veſcæ radices conſiderandæ veniunt. *Mneſitheum*, qui omnes radices utcunque coctas, & paratas, affirmârat dyſpeptas eſſe, nec utiles, non audiendum cenſuit *Galenus*.

2. *Rapæ*, vigente Romanorum frugalitate, *M. Curii* ſenatorium fuit olus: quod, eâdem inclinatâ, à foſſoribus faſtiditum eſt. Cruda jumentorum eſt pabulum, concoctu difficilis & ſtomacho humano inutilis: at cocta Cibus eſt hominibus commodiſſimus. *Rapæ, & napi.* *Rapinam.*

Napi rapis forma, et temperamento ſunt ſimiles, quos (referente *Plinio*) in menſam paratos ſex coloribus, præter ſuum, noverat ejus temporis luxuria pingere. Utraque radix cocta nutrimentum præbet laudabile, et copioſum: phthiſicis prodeſt. Succus earundem expreſſus aſperi-

tatem tracheæ & bronchiorum, bilis etiam acrimoniam lenit: *Avenzon* scribit visum roborare.

Pastinaca utraque. 3. Radix *Pastinacæ* utriusque, sativæ, *Latifoliæ, & tenuifoliæ, seu staphylini*, (quam vulgò Italicâ voce carotam dicimus) usitatissimè in cibis ponitur; utraque radix cruda ventriculum nimis inflat; sed percoctæ fiunt suaviores, & probè nutriunt: libidinem nonnihil excitantes: sunt, qui asserunt pastinacæ latifoliæ radices vetustiores torporem & delirium inducere, unde eas, *Madneps, i. e. radices insanas* vocant.

Cari rad: 4. *Cari* radix cocta pastinacis utilitate & saporis bonitate antecellit, stomacho grata est, & coctionem promovet.

Rapunculus. 5. *Rapunculi* radix & cruda, & cocta estur, estque sapore perquam jucundo, appetentiam ciet et nutricibus lactis ubertatem facit.

Raphanus. 6. Tanti in cibis olim æstimata fuit radix *Raphani*, ut in *Apollinis Delphici* templo ex auro dicaretur beta ex argento, at è Plumbo rapum. Scires (inquit *Plinius*) non ibi genitum *Curium* imperatorem. Certè licèt ori grata sit; stomacho ferè non perinde convenit: nam cruda ructus ciet, flatusque gignit, alvo aptior, urinam movet. *Galenus* miratur eos medicos, et idiotas, qui non sine multorum incommodo eas, post cibum, crudas esitandas tradunt. Cocta in tussim veterem, crassamque pectoris pituitam est valde efficax. *Raphanus rusticanus Armoraciæ* vix cibus; sed cibi condimentum est. Validis ventriculis quibus vice sinapeos intriti usurpantur.

Raphani virtutes & vitia.

Quorundã error.

Raph. rusticanus.

7. Inter

Inter olera vix aliud eſt delicatius, quàm *lutei Tragopogonis* cocta radix: ſtomacho tam grata, quàm utilis phthiſicis, & hecticis ſæpiùs comeſta multùm prodeſt. Lac auget. *Myrrhidos* etiam radix eâdem præparatione phthiſicis, & Crudis conducit. *Tragopogõ.*

8. *Siſeris* radices inter delicatiores jure numerantur. Sunt etiam ſalubres, minùs quam paſtinaceæ nutriunt, nec ſunt perinde flatulentæ: ſed venerem potentiùs movent: itaque multis gratiores. Diureticæ ſunt & appetentiam cient. *Siſer.*

9. *Battatæ* non ita pridem peregrinæ tantùm erant, at nunc noſtri ſoli patientes paſſim in hortis ſeruntur, & licèt in *Americâ* Ergaſtulorum prandia ſint, apud nos ſcitè coctæ delicatis palatis placent. Siſerum vires, uſumque æmulantur; & affatim alunt. *Battatæ radices, & Iniami.*

Iniami iſtarum affines in *Africâ*, & *Americâ* ſponte naſcuntur, & Battatas mole ſuperant, ſapore verò eiſdem cedunt, nonnullis quia diu aſſervantur, in victum nauticum recipiuntur. Guinienſium menſis, non alius gratior cibus, quam hæc radix ſaccharo, aut, ſuis *Bonanis* condita adhiberi ſolet. *Iniamum.*

Nota.

Eis, qui hyeme radices eſculentas colligunt, à noxiis cavendum eſt. Cicuta enim & cicutaria paſtinacas, aut ſiſera mentitæ multis nocuerunt. Quibus nec diſſimilis, nec mitior eſt *Hyoſcyami radix. Jo. Bauhinus* narrat: ſe *Montebelgard* vidiſſe, Duas familias, quæ iſtiuſmodi radices pro paſtinacis latifoliis edendo penè extinctæ erant. Sed eas vomitu, theriacâ, & pul: Saxonico ſanavit. *Tom.* 3. *lib.* 27.

Nu-

Bolboca-ſtanon.

10. Nucula terreſtris, recentioribus Botanicis *Bulbocaſtanum* ferè dicitur, eam veteribus innotuiſſe non liquet: etſi ſunt, qui *Banium Dioſcoridis* eſſe contendunt: ſed deſcriptiones plantarum comparatæ aliud ſuadent: duplex earum genus eſt: majus *Italis*, & *Germanis* familiare, minus *Anglis*, utrumque calfacit, & modicè aſtringit: comeſta, caſtaneam aliquatenus ſapore imitatur, & veſcentes haud minùs nutrit. Cruda eſtur, ſæpiùs & ſuaviùs cocta ſanguinis ſputo, & mictioni opitulatur, etſi ſemen diureticum eſt.

Vires.

11. In agro *Veronenſi*, & *Valentia* Hiſpaniæ, naſcitur radix veſca magnitudine fabæ hortenſis, Italis *Traſi*, Hiſpanis *Ciafa* dicta & Siculis, apud quos etiam creſcit *Caſtanatos*, quòd Caſtaneas ſapore imitatur: à Botanicis antiquis, ſi eis innotuit, videtur inter *Cyperi* radices deſcribi. Hæ nuculæ ob ſaporis dulcedinem non inhonoræ ſunt, ſed inter menſæ ſecundæ delicias locum obtinent. Comeſtæ pectoris vitiis auxiliantur, & ſuccus lacteſcens ex eiſdem elicitus venerem frigentem laſcivire cogit; humorum acrimoniam leniendo urinæ ardori, & dyſenteriæ confert. Harum ſimiles ſunt *Indicæ Caceræ* à *Fragoſo* deſcriptæ & habet Guiana ſuum *Bulbocaſtanum* ab iſtis formâ diverſum; adhuc aliud genus in *Malavarâ* creſcens deſcribit *Garcias*, nonnullis *Quiviquilengo* dictum: quod interpretatur idem *Parvum Iniamum*. *Cluſius* verò hoc non aliud ab Italorum *Traſis* fuiſſe arbitratur, et idem cum *Serapionis* radice *Habuculcoul* dictâ, quam comeſtam ſemen augere tradit. *Arachidna* cujus *Theophraſtus lib.* 1. meminit, non alia atque hæc quibuſdam putatur.

Traſi.

Facultates Traſorum.

Caceræ.

12. Allium

12. *Allium* olim Ægyptiorum portentosum fuit numen forsan quòd illic perinde, atque alibi rusticorum fuit theriaca, ejus enim usu à plerisque morbis se immunes arbitrantur: & hodie Hispani quotquot animam allii fætorem, quàm ventriculi cruditatem olere malunt stomachi imbecillitati ejus usu subveniunt. *Galenus lib.* 12. θεραπευτ. Censet eis commodissimum, qui frigidas regiones incolunt. Sed reverâ in calidis, quàm frigidis tractibus frequentior est stomachi debilitas, & ab eadem laborantibus utrobique satis commodè estur. *Ophioscorodon*, seu *allium anguinum sylvestre* genus est. Utriusque vis acris est; nimiusque eorum usus alvum turbat, aciemque oculorum hebetat. Sed cibis assumptum lumbricos extinguit & asthmaticis prodest: urinam & alvum ciet, menses ducit. *De Allio, cæpa, & porris.* *Allii usus.* *Ophioscorodon.*

13. *Cæpæ* calidæ sunt, & acres, earum tamen acrimoniam etiam crudarum, quorundam palata & dura ilia facilè ferunt. *Cepa longa* est acrior quàm *rotunda*; item *flava*, quàm *candida*; sicca, quàm viridis; cruda quàm cocta. Innata earum acrimonia & ipsis, et aliis cibis condimento est: quo appetentiam invitant: nimiâ tamen copiâ ingestæ, etiam coctæ nocent: flatus enim gignunt, capitisque cient dolores. *Cæpæ natura.*

14. *Porrum* vix sine incommodo esitatur. Noxium enim succum parit, somnumque facit tumultuosum, visum hebetat, venerem stimulat, at cum ptisanâ coctum pectoris vitia sæpè emendat: mitiora istis sunt *ampeloprassum*, et *schœnoprassum*: quod ad cæpæ naturam, quàm porri propiùs accedit. Allium et cepa cuti applicata exulcerant: utcunque intus tutò sumantur. *Porrum* *Ejus usus.* *Ampeloprassũ & schœnoprassũ.*

15. Radix

Radix ari. 15. *Radix Ari*, esculenta dicitur à *Galeno* alisque authoribus, sed Syra, vel Ægyptia. Quæ his regionibus nascitur, præ sale piperino, quo maxime abundat, gustari nequit, nisi aceto maceretur. Comesta humores lentos incidit, stomachicis conducit, & excreationem è pectore promovet.

Radix arundinis Indicæ dictæ Bambu. 16. *Arundinis dictæ Bambu* radices apud Indos pipere, sale, & aceto palmeo conditæ *Atchur Mambu* appellantur. Appetentiam cibi cient, ventriculum corroborant.

Rad. Mandyuccæ. 17. Non licet radicem omittere, quâ magna humani generis pars vice frumenti alitur. Europa miratur, posse magnis gentibus vitam sine frumento sustineri. *America* verò posse sine *Mandyucca.* Quæ frutex est pumilus, & nodosus, folio Agni Casti, cujus radicibus confit panis *Cassava* dictus, sed succo, qui venenatus est, priùs expresso.

Ejus 7 species quidam numerant, feruntque unam earum proferre radicem, quæ integra cum suo succo cocta tuto estur: sed rara admodum occurrit. *Hist. nat. Antill.*

CAP.

CAP. VIII.

De fructibus quibusdam peregrinis.

1. SUnt fructus, qui Europæ Cœlum, solumve vix ferant: neq; unquam, aut perrarò præ longinquâ navigatione, & teneritudine integri huc queunt perferri quos tamen ex *Christoph. Acostâ, Morcarde, Oviedo, Garcia, Jo: Fragoso, & Baptist: Tetreo* paucis describam.

Anana quoad originem Americana fuit: sed inde jampridem in regiones longè dissitas migravit. Inventa est primùm ab Hispanis in provinciâ Sanctæ Crucis & inde in Brasiliam translata. Unde etiam in Indiam & vicina loca propagata multum profecit. Lusitanis & Hispanis dicitur Pina; quia nucem pineam figura quodammodo refert. Eâdem de causâ nonnulli veterum carduum sativum, seu scolymum nominarunt strobilum. Hic fructus à quibusdam ejus dulcedinis esse dictus est: ut nihil adhuc excogitarit Pomona, quod ei comparetur. *Anana.* *Unde oriunda.*

Magnitudine melonem æquat, sapore malum Armeniacum putares; nisi quod esset delicatior. Comestus calfacit, humectat, & facilè concoquitur; succus expressus vinosus est, & Mustum Rhenanum imitatur. Nauseam quoque potus sedat, & urinam movet. Est etiam antidotus succi mandiuccæ venenati: ab ejus potu gravidis timendum. *Tetreus. in hist. Antillar. & Guil. Piso.* *Earum facultate*

2. *Jaaqua*

Jaaca.

2. *Jaaqua* pomum est arboris prægrandis in Indiæ maritimis nascentis. Figurâ & magnitudine melonis, foris viride, intus flavescens, spinulis instar Erinacei sed mollioribus munitum, non è ramis sed more fructus sycomori è caudice erumpit. Maturescens complures nuces castaneis pares, & duriusculo putamine tectas continet. Caro fructus melonem, & aliquando malum Persicum sapore æmulatur: sed haud facilè concoquitur. Nuces igni tostæ jucundius sapiunt & libidinem validè incitant, & eam ob causam ab Indis expetuntur. Alvi profluvium totus fructus sistit.

Jaaquæ Sinenses quantæ.

Hic fructus in Chinâ eò magnitudinis crescit, ut omnes alios facilè superet, nempe tanta sunt singula poma, quanta Bajulus ferre sustineat, & ab incolis appellantur Polomi. *Martinius* & *Michael Boemus.*

Nux Indica dicta. Coco.

3. Crescunt uberrimè in Indiæ maritimis, et quibusdam *Africæ* locis arbores *Theophrasto* cuciophoræ dictæ; quas ille et *Plinius* post eum luculenter descripserunt. Erravit igitur *Jo. Fragosus* qui censuit has arbores antiquis scriptoribus non innotuisse.

Descriptio arboris.

Arbor speciem palmæ decoram refert, unde fructus prægrandes instar melonum dependent, quibus cortex extimus in atrum rufescit, intus villosâ materiâ compactus. Cui subest putamen triquetrum, & prædurum; quod nucleum continet, album, sapore jucundum, intus concavum, in quo succus lactescens & perquam dulcis includitur. Medulla excalfacit recessu primo; humectat secundo; & licet succum non malum gignat, tamen ventriculo aliquantum molestiæ

Vires.

exhibet,

exhibet, semen auget, veneremque promovet: pinguedini corporis confert: unde *Indæ* strigosæ eâ saginâ crassitiem optatam acquirunt. Oleum ex istis nucleis expressum elæomeli Dioscoridis quibusdam putatur, quàm rectè nescio.

4. Est aliud Coci genus Maldiviense dictum cujus virtutes in medicinâ egregias *Indi* prædicant. Grana pauca nuclei in vino aquâve exhibita ratione ægri habitâ vim insigniter cardiacam præbere, & proinde in morbis malignis plurimum dicuntur præstare. Non alibi quâm in litore maris Indici inveniuntur: itaque fisci regii sunt & magno æstimantur. E ramis arboris Cuciophoræ decisis liquor potulentus magni usûs in istis regionibus elicitur, de quo infra dicetur. *Cocus Maldiviensis.*

5. *Manga Indorum* Persis, & *Turcis* appellatur *Ambaw*. Nascitur in omnibus prope locis Indiæ & vicinarum regionum: arbores, quibus crescit, sunt juglandium pares; quarum singulis poma diversicolora simul pendent. Nam nonnulla rubent, alia flavent, sed pleraque sunt viridia. Horum laudatissima propè Ormusium inveniuntur. *Manga. Arboris descriptio.*

Mangæ recentes plerumque vino maceratæ eduntur. Conditæ saccharo, oleo, aceto, & sale, additis etiam allio, sinapi, & gingiberi viridi in usum, modo olearum Cordubensium, servantur, & earum vicem supplent. *Fructus usus.*

Recentes frigidæ sunt, & humidæ. Etsi ab *Indis* medicis calidæ habentur. Quòd erysipelata, anthraces & causi eas edentibus sæpe accidunt. Sed istos morbos potiùs Cœli intemperiei ac- *Facultas.*

acceptos referas. Qui enim à mangis abstinent, ob gravissimos regionis ardores in istiusmodi morbos perinde, atque edentes incidere observantur. Mangæ pleræque nuces osseas, quibus insunt nuclei candidi, continent.

Mangæ sine ossibus. Sed invenitur etiam genus earum ἀπύρηνον optimi saporis. Est etiam earum genus sylvestre, *Mangæ bravæ, i.e. sylvestres venenatæ.* quas Lusitani bravas vocant, præstantissimum venenum, & insanabile. Quid si *Persea Galeni*, quam acceperat in P*erside* veneni præsentis esse: sed in *Ægypto* translatione mitigatam, sit manga brava?

Cajones. 6. *Cajones* sunt poma viridia aut aurea succi plena velut Limones, sed seminum expertia. Nascuntur arbore malo nostræ non absimili, singulis pomis vice pediculi nux Castaneæ similis adhæret: cujus nuclei pistacia sapore æquant. In eâdem verò nuce folliculus est, quo oleum acerrimum & gustatu ingratum continetur, at non inutile. Eo enim barbari erysipelata & guttam rosaceam norunt tollere. Fructus poma & nuces in mensis divitum pro bellariis sunt. Ventriculum debilem corroborant, et nauseam tollunt.

Jambi. 7. Pomum, quod Lusitani dicunt *Jambo*. *Turcæ* et P*ersæ* vocant Tuphat, cujus natale solum fuit olim *Malacca*; at nunc in aliis Indiæ tractibus ubique provenit. Et à plerisque expetitur, quòd sapore, odore et medicâ virtute polleat. Duplex est *Jambi* genus, alterum saturatò purpurascens osse caret: Rubet pallidè et ossiculum duriusculum continet alterum. Utrumque rosas fragrantes redolent: suntque ejus elegantiæ, ut incautis primo intuitu è cerâ formata et picta videantur.

videantur. Fructus pyrum majusculum, arbor prunum mediocrem magnitudine æquat, & pomis nunquam vacat; postquam cæperit producere. Flores fructusque saccharo conditi gustui sunt gratissimi; sitim sedant, febrium arbores tutò mitigant.

8. *Duriones* vix alibi, quam *Malaccæ* nati inter celeberrimos *Indiæ* fructus recensentur. Nasci dicuntur arbore grandi & excelsâ, mole melonem superant, echinato corpore leguntur & continent aliquot loculos, in quibus singulis insunt nuclei candidissimi, ovi Gallinacei magnitudine, terni, quaterni, aut plures, sed quo pauciores eò meliores. Qui quinas habent nihili habentur. Ea est hujus fructûs dulcedo: ut eo expletos multos: sed satiatos nullos videas: comedentibus primo tentamine cœpam putridam olere videntur; sed voluptas, quam esu præbet, in tantum crescit, ut tandem sit inexplebilis. Est calidus, humidus. Cum *Betele*; (ea est herba, quam Indi perpetim ferè commanducant) adeo diffidet ut in eodem loco contineri nequeant. Nam pauca hujus folia cum mille *durionibus* simul reposita omnes brevi spacio corrumpent. Et *Indi* nescio an ab hâc antipathiâ edocti ventriculi à nimio eorum esu intumescentis regioni *Betele* cum successu imponunt. *Duriones?*

9. Tribus arborum generibus nomen ficus *Indicæ* ab authoribus adaptatur. *Plinius & Car. Clusius* eum secutus arborem *Indicam* πολύῤῥιζον à *Theophrasto, & Strabone* descriptam ita nominarunt. Quæ arbor est miratione digna. Nam primum nascens aliarum arborum ritu erigitur, sed *Ficus Indica Plin.* *Descriptio arboris.*

ſed poſtea adulta à ramorum extremitatibus flagella quædam demittit, quæ humum nacta radices agunt, & propagine circa parentem latè auctâ pro arbore ſylvam amplam conſtituunt quæ magnam equitum turmam umbra ſuâ facilè tegat. Imo alii affirmant; mille homines ſub unâ earum poſſe latere. Frondibus hujus arboris *Plinius* figuram *Amazoniæ* peltæ, *Theophrastus* magnitudinem aſſimilat: ſed neutrius ſententiam probant, qui viderunt.

Fructus. Inter frondes latet fructus exiguus, fabæ magnitudinem non excedens, foris intuſque rubens κεγχραμίσι ut ficus plenus, guſtu non inſuavis ſed ficui *Europeæ* multo inferior.

Muſa vel moris Arabum. 10. Fructus alius priori diverſus à Luſitanis in *Indiâ* figo i. e. ficus dicitur: qui tamen apud alias gentes diverſa ſortitur nomina, quorum nullum ficum ſignificat. *Nomina diverſa.* Arabibus ſcriptoribus *Moris*, vel *muſa*, *Braſilienſibus* Pacona, *Guinienſibus* *Banana*, Indorum multis *Quello*, ſed Malavarenſibus *Palan* dicitur unde nonnulli putant, arborem, quæ fructum hunc producit, eſſe *Palam Plinii* cujus pomo ait ſapientiores Indorum vixiſſe. Quaſi vox Latina â *Malavaricâ* profluxiſſet.

Deſcriptio arboris. Arbor, (ſi arborem dicas, quæ ligno caret) humilem ſcapum habet glomeramine frondium refertum, quæ in ſcapi ſummitate erumpunt, & unà cum frondibus flos colore ferrugineo, *Fructûs.* magnitudine ovi ſtruthiocameli è cujus caule ducenta aut ampliùs poma magnitudine cucumerum racematim more vuæ cohærentia enaſcuntur.

Hæc planta non modò in *Indiâ* & *Americâ* ſed

sed in *Arabiâ*, *Ægypto*, & *Syriâ* prope Hierosolyma invenitur: quod Fratri *Bracardo* ansam dedit credendi; fructum ejus *poma Paradisi fuisse*; quibus parentes protoplasti decepti erant.

Planta una semel tantùm parit, & unicum racemum, sed succisa, mensis spacio renata, novum fructum profert, nec toto anno idem facere recusat.

Fructus crudus rariùs estur: sed siccatus totâ *Indiâ* divenditur: tostus ampliorem saporis gratiam obtinet. *Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 495* de proprietatibus *Musæ* scribens asserit: quod velociter nutriat, sed parcè edendus, nam copia ejus stomachum offendit Cui *Rhasis lib. 3. cap. 20.* subscribit. *Serapio* verò ait, *cap. 28.* Musam ventriculi, & pulmonum ardoribus mederi: sed nimiâ quantitate assumptam eosdem lædere; renibus prodest, urinam movet, & libidinem stimulat. Indi medici eum febrientibus exhibere feruntur. *Fructûs usus.*

11. Alia superest ficus dicta *Indica*, at ex *Americâ* allata, & planè mirabilis. Unicum enim folium terræ insitum protinus radices agit, & è se sursum folia producit, quæ & alia eo ordine ita pariunt, ut tota arbuscula è foliis tantùm sit composita, non sine naturæ miraculo. Folia perquam crassa sunt & aliquantum spinosa. Hæc planta veteribus fuit planè incognita: nisi admittas fuisse *Plinii Opuntiam*. Qui scribit: Herbam circa *Opuntem* nasci etiam homini dulcem, mirumque è folio ejus radicem fieri & sic plantam nasci. Certè ratio inserendi convenit: sed scrupulus manet. Unde in *Europam* veniret, *Ficus Americana. Mirabilis.*

& quò evanesceret, non nisi ex *Americâ* postliminio reditura, fructum profert nostris ficubus crassiorem, sed cætera similem.

Ficus Sinenses. 12. Scriptores de rebus Sinensibus duarum arborum meminerunt, à ficu nostra diversarum: quarum tamen fructus figura & sapore ad nostras ficus proximè accedunt.

Sycomora. 13. *Sycomora* sunt fructus arboris in *Rhodo*, *Caria* & *Ægypto* circa Nili aggeres nascentis: de qua ambigitur utrum ad mori, an ficus figuram propiùs accedat. Nomen ab utrisque sortita est. Fructus est ficui similis, nisi quòd granulis caret, & non tam a ramis, quàm ab arboris caudice erumpit; prædulcis est, & comestus alvum movet. Ventriculo obest, & maligne alit.

Jangomæ & alii fructus vilioris notæ. 14. *Jangoma* sunt exilia poma arboris spinosæ, dicas sorba *Indica*; sorba enim specie & usu imitantur: validè astringunt. Alvi & alia quævis profluvia sistunt. Copiosè apud *Indos* proveniunt & vili veneunt.

Brindones. 15. In regione *Indicâ* Lusitaniæ parente nascuntur *Brindones* extrinsecus pallidè intrinsecus saturatò rubentes. Paucis hic fructus arridet, sed pluribus displicet: itaque parvi sunt pretii.

Carambolæ. 16. Pluris æstimantur Carambolæ prope Goam crescentes Lusitanis & Malavarensibus ita dictæ, sed *Malaiis* bolambæ, aliis *Camarizæ* nominantur. Sunt poma flaventia mole ovo *Gallinaceo* paria. è quibus conserva in cibis & medicinâ gratissima & utilis conficitur: febrium enim ardores restinguit, & sitim sedat.

Jambolina. 17. Arbores quæ jambolina ferunt sylvestres sunt

sunt. Cortice lentiscum, specie Myrtum (nisi quod frondes sunt arbuti frondibus similiores) imitantur, fructus olearum *Cordubensium* imaginam repræsentat. Comestus gulam nimiâ austeritate stringit: at cibi appetentiam excitat. Conditur igitur, & cum oryzâ coquitur, ut cibis saporem gratum conciliet, quem ipse solus non habet.

18. *Papajum* fructus est meloni simillimus, olim tanti habitus, ut à *Philippinis* usque in *Indiam* accerseretur. Sed jam sive quod degeneravit, sive quod ob copiam sordet, vilissimus est & passim negligitur: ferunt tamen hunc fructum Sinensibus dictum *Famiacon* etiamnum magno æstimari; dicitur refrigerare, humectare & libidinem restinguere. Unde forsan *Indis* vilescit, quibus stimulus veneris, quàm remora fere optabilior est. *Papaja.*

19. Descriptum fuit à nonnullis fructiferum *Nymphææ* genus in *Javâ* & *Indiæ* paludibus nascentis; quæ singulis capitis loculamentis fructum fabæ hortensis parem continet. Hæc planta non alia est, quàm veterum *Colocasia*, cujus fructus faba *Ægyptia Dioscoridi* dicitur, & in calyce, *Cibotio* propriè dicto crescit. Hæc planta in *Ægypto* olim copiosè sed non sponte provenerat: semina verò lino inclusa in flumen, lacumve mittebant, eâ tantum ratione frugem expectantes; planta in multis *Asiæ* regionibus olim crevit, & in *Italiâ* ob florum elegantiam, sed sine fructûs maturitate erat celebris. *Indiæ* sola ei natale solum videtur fuisse. Ubi nunc sponte nascitur, fructus in cibo est stomacho utilis & astringendi facultatem obtinere creditur. *Fructus colocasiæ.* *Fructûs vires.*

 Fru-

Cacaou è cujus fructu Chocolatta.

20. Fructuum in insulis *Caribais* celebrium descriptiones ex *Histor. nat. Antill.* potissimum depromsimus. Arborum in *America* crescentium *Cacaou* jure regina audiat, cum præter cibum & potûs insignis materiam numos etiam ferat: nucleis enim, quibus infercitur fructus, amygdalarum similibus, merces emunt indigenæ, & quoties libet aliquid pauperibus erogare aliquot eorundem conferunt.

Arboris descripti.

Arbor est magnitudine cerasi, foliis Castaneæ, nisi quod sint ampliora; fructus est instar melonis, & in eo sicut in siliqua continentur multi nuclei, ferè 30. saporis subamari, qui valdè nutriunt, ventriculo frigido prosunt, & veneris monent frigidos: ex his fit potus dictus *Chocolatta*, admistis quibusdam aromatis, saccharo. Nihilominus mihi videtur, quo simplicior eo melior.

Fructûs utilitas.

Acajou Arbor.

21. *Acajou Arbor* est parva, folio ampliore, quàm nucis, sed eâ ferè formâ. Fructum producit ovi Gallinacei magnitudine pyri formâ, colore flavo & rubro: qui maturus succum præbet perquam jucundum. Fini hujus fructûs adnascitur nux, cujus nuclei amygdalis similes, sed meliores, jejunis comesti ventriculum corroborant.

Fructûs descriptio & usus.

Qui hac arbore abundant, vinum gratum & spleneticis utile inde conficiunt.

Pruna dict. mombina.

22. *Mommina* sunt pruna flava rubris notis interpuncta succi plena, boni odoris. Continent autem nucleum venenatum, ut aliqui ferunt. Arbor quâ crescunt folia habet fraxini, & molem quercûs *Europæ*. E succo hujus fructus fit ouicou potus, qui non secus atque optimum vinum

num inebriat. Et è gemmis arboris fiunt acetaria.

23. Arbor, quæ hunc fructum profert, foliis & magnitudine laurum refert. Fructus est magnitudine melonis, & sub viridi cortice materiam candidissimam continet, quæ sapore malum Persicum imitatur, & ori ingesta in aquam statim resolvitur. *Carasol.*

24. Hic fructus à decidio florum festinanter unâ nocte maturescit: & statim legendns est nam postridiè quàm maturuit, decidit: aliquanto minor est ovo anserino colore foris laureo, intus roseo (Inveniuntur autem quibus caro est candida, & tales aliis sapore præstant) immaturus astringit, maturus alvum leniter laxat. *Goüjaves. Fructûs natura.*

25. In quibusdam *Caribæis* Insulis *Cachima* dicitur pomum parte soli obversâ rubrum, cætera leucophæum, intus substantiâ candida & adeò dulci repletum; ut mensis impositam inscius florem lactis cum saccharo admisto jurares. Fructus est calidus, & siccus; urinam & sudores ciet; dicitur tamen valdè nutrire, sin nimiâ copiâ ingeratur, guttam rosaceam & psoram inducere. *Cachima pomum in Antillis. Ejus descriptio temperies & usus.*

26. Nascitur in insulâ *Guadalupâ* arbor, quæ quia modo coryli plurimos à radice stolones emittit, ab incolis Gallis *Condier.* i. e. *Corylus* satis abusivè dicitur. Nam folia gerit lauri, fructus autem rubros & nigros grossularum instar, & earum ferè sapore. *Fructus Coryli Guadalupana.*

27. In eâdem insulâ crescit arbor excelsa, quam nominant *Cowbaril*: cujus fructus est oblongus tres aut quatuor pollices latus, unum spissus, Cor- *Coubarila. Ejus usus.*

 tice

tice ligneo obductus. Qui farinâ quadam fibrosâ repletus in magnâ insularium penuriâ panem præstitit.

Geniba. 28. Genibæ poma ova Gallinacea æquant, boni odoris sunt; subacida: sed quia edentium ora contumaci nigritiâ deturpant, rarò comeduntur.

Guiabaranæ fructus. 29. In *Antillis* etiam ad fluviorum ripas passim crescunt Arbusculæ tortæ, nodosæ, folio rotundo, amplo, quàm carta firmiori, primùm viridi, postea rufescente. Earum fructus sunt roseæ uvæ, paucæ carnis ob ossa magna quæ mediis acinis insunt saporem prunorum habent.

Mamoira seu papaja Americana. 30. Poma sunt pugillaria, colore aurantii, quibus caro est digito uno vix crassior. Intus cava sunt, & in eâ cavitate continentur grana piperi similia, & ejusdem fere saporis.

31. *Maugabiæ* fructus in *Brasilia* notus tantâ suavitate gulæ lenocinatur, tantâ saporis præstantiâ: ut haud sciam an venustiorem & gratiorem *America* producat.

Lusitani hunc fructum condiunt & nullis sic epulis cedunt. Facilis est digestionis; ardores viscerum domat, & febricitantibus auxiliatur. *Guil Piso.*

Qui plura vult de fructibus *Brasilianis* hunc *Pisonem* & *Georgium Margravium* consulat.

Arbores sceuophoræ. 32. Barbaris pauco contentis plurima indulsit natura, quæ in *Europâ* operosâ arte tantùm acquiruntur. Nam præter fructuum varietatem apud eos omnimoda fere vasa sponte crescunt, quæ in *Europâ* Cœlum, & tornus for-

mant.

mant. Talia cujusvis magnitudinis interpyrum & maximum peponem, & diversissimæ figuræ profert arbor pomi similis foliis oblongis, quæ passim in *Caribæis* nascitur. Hujusmodi vasa *Calabacas*. i.e. Cucurbitas voce Hispanicâ dicta Indigenæ variis coloribus pingunt. Abunde etiam supellectilis præbet arbor cuciophora: sed alia quædam ferè omnia; modè vera sint, quæ de arbore *Mexicanâ* appellatâ *Metle* prædicantur.

33. De manconelis hic in calce memini, non quasi de cibis; sed ut incautos moneam ne veneficâ pulcritudine allecti miserè pereant. Manconella est pypri similis, sed cortice denso, quo inciso abunde succi lactei caustici, & periculosii effluit. Hoc pharico barbari sagittas inficiunt. Passim in litoribus Antillarum occurrit: cave sub eâ dormias, aut imbre urgente maneas: nam guttæ à foliis decidentes venenatæ sunt. Cibus, qui ejus ligno coquitur, nocet. Poma ejus sunt pulchra, suavis odoris: tamen non aliud est præsentius venenum. Imo carnes piscium & volucrum, qui eis vescuntur venenatæ sunt. Remedium hujus deleterii sumpti est quamprimum vomitu rejicere, & Ananas copiose edere.

Manchionella. *Quam periculosa.* *Pomi ejus forma.*

CAP.

CAP. IX.

De Aromatis.

1. A*Romatum* naturam considerare à re propositâ non est alienum. Sunt & illa aut fructus, aut plantarum partes & cum aliis esculentis, quibus condiendis inserviunt, manduntur.

Piper. Arboris descriptio. *Piper* fructus est plantæ in *Indiâ* nascentis *Bryoniæ* fere similis, arboribus juxta quas seritur adhærescentis. Seritur autem (inquit Garcias) ferme ad palmæ, aut arboris *Fausel* radices. Fructus ipse racematim cohæret, semperque, donec plenam consequatur maturitatem, viret. Racemi adhuc virentes aceto, & sale conditi usui asservantur. In piperis descriptione multum Hallucinatus est *Dioscorides* & cum eo *Plinius* & *Galenus*. *Dioscoridis & aliorum error.* Censuerunt enim piper longum Plantæ piperificæ quasi siliquam, & piper album ejusdem granum immaturum. Nigrum autem illud, quod tempestivâ maturitate collectum fuit. Cum reverâ plantæ, quæ rotundum proferunt, ab istâ quæ longũ producit sunt formâ diversissimæ & loco dissitæ. *Pip. nigrũ & album.* Nec eadem planta utrumque rotundi genus parit. Licèt adeo exiguum earum sit discrimen ut ante maturitatem non sit cujusvis dignoscere cùm minùs inter se discrepent, quàm vitis quæ rubras, ab eà quæ albas fert uvas. Ut autoptæ testantur. Maxima horum copia nascitur in *Malabar*,

labar, & totâ maritimâ regione quæ à *Comorin* ad *Crananor* pertingit. Porrò in Javâ & prope *Malaccam* aliisque quibusdam *Indiæ* locis, unde in reliquum orbem divenditur.

Piper verò longum à Bengàlâ, ubi crescit, affertur. Nascitur etiam in quibusdam *Americanis* insulis. Ut *Baptistæ Tartreo* visum est; hoc piper præcipuè colicis auxiliatur. E rotundis album est melius; utrumque calfacit, siccat & attenuat. Crudo frigidoque ventriculo imprimis necessarium. *Pip. longum.*

Sunt aliæ plantæ quarum fructus piperis vicem præstant; & apud quasdam gentes ejusdem nomen usurpant.

2. *Capsicon Lusitanis* pimentone fructus est, quo in condiendis vice piperis *Indici* utuntur. 20. ejus species enumerat *Perkinsonus* omnes *Americâ* oriundas, nec facultatibus diversas. Nonnulli contendunt Siliquastrum *Plinii* idem atque hoc esse. Calore ferè igneo præditum est tamen cum farinâ triticeâ subactum, & furno diu coctum piperis usum præbet: at hepati & visceribus nocet. *Capsicon.*

3. *Hydropiperis* folia, postquam inaruerint, tusa pro pipere à nonnullis in obsoniis admista fuerunt. Est autem *Hydropiper* herba sale piperino abundans & in aquosis passim nascens. Non me præterit quod *Helmontius* negat: hydropiper, si exaruerit, essentiam suam retinere. *Hydropiper.*

4. *Baccæ myrti* antequam piper reperiretur ejus vicem obtinebant, quodam generosi obsonii nomine inde tracto: *Plin. lib.* 15. *cap.* 29. *Baccæ Myrti & viticis.*

Semen viticis quibusdam piper Monachorum audivit; quod figuram piperis habet.

5. Non

Piper Jamaicanum seu Mamoxochile. 5. Non ita pridem à *Jamaicâ* à noſtris occupata afferri cœpit fructus quidam aromaticus, qui piper rotundum magnitudine, non gravitate ſuperans *Caryophyllos* & macin olet, & in uſu culinari eorum vices ſupplere videtur. Sponte naſcitur in *Montanis* ejus inſulæ & ab Hiſpanis pimete dicitur, & inde nobis pepper. i. e. piper. Sed quia omnium aromatum ſapores refert, nonnullis noſtratium appellatur Al ſpice. i. e. *Panaroma.* Aliis Americanâ voce dicitur *Mamaxochile.*

Cubebæ. 6. *Cubebæ* in *Javâ* naſcuntur piperi ſimiles, dicuntur ab inſulanis tanti æſtimari, ut non niſi decoctas, ne alibi ſatæ enaſcantur, exportari ſinant. Multis videtur piperis ſpecies; aliis, (quod minimè veriſimile) fructus viticis; aliis *Ruſci*: *Cæſalpino Amomi* legitimi ſemen, & ſunt quibus *Galeni* carpeſium putantur: quibus *Mathiolus* refragatur, & negat noſtras eſſe *Arabum* cubebas, aut *Galeni* carpeſium. *Cubebæ Javenſes* calfaciunt, ſiccant, & ventriculum pituitâ languentem aut flatu roborant, frigidis uteri affectibus auxiliantur, craſſos pectoris humores attenuant, venerem cient. Vice carpobalſami in formulis medicorum ſubſtituuntur.

Gingiber. 7. *Zingiber* eſt radix plantæ in *Troglodyticâ* olim, jam copioſè in *Antillis* Inſulis provenientis, cujus in cibis condiendis frequens eſt uſus. Excalfactoriam vim habet, ſtomacho eſt utilis, & alvum leniter emollit: eligendum eſt integrum, & album. Mercatores ſæpe bolo quâdam rubrâ obliniunt, ut à carie muniant, eamve tegant.

Nux myriſtica & macis. 8. *Nux moſcata* fructus eſt arboris perſicæ non abſimilis quæ vix alibi quàm in Moluccis, aut *Bandis* inſulis naſci poteſt. Fructus macis in volucro

lucro & duriuſculo putamine legitur. Recens, gravis, & ſucci oleoſi plena eligenda eſt. Macis probatiſſima eſt flavo colore, ſubacri ſapore, & odore grato. Nulli ſcriptorum de materia medicâ ante *Arabum* tempora innotuit hæc *nux myriſtica*, niſi ſit *Galeni* chryſobalanus, cujus meminit. *lib.* 3. *medicament. ſec. loc.* Nux moſcata, calfacit, ſiccat & ſubaſtringit: halitum fætentem emendat, coctionem juvat, urinam ciet. Cephalica, ſtomachica, & uterina eſt. Macis facultatibus cum ſuâ nuce congruit, ſed cum partium ſit tenuiorum penetrantior eſt, & efficacius operatur.

9. *Caryophylli* ſunt fructus, aut potiùs flores aromatici ad nos ex *Indiâ* advecti, *Arabibus* dicti calafur. *Caryophylli.*

Arbor, quâ naſcuntur, in *Ceilan* aliiſque locis à mari non procul diſſitis creſcit: ſed *Garcias* affirmat, illam non alibi, quàm in *Moluccis* inſulis eſſe fructiferam. Duplices ſunt *Caryophylli*, minores, qui à Cultoribus uſitato colligendi tempore arundine decutiuntur & majores, qui *anthophylli* nominantur. Hi in arbore diutiùs hærentes craſſeſcunt, nec à cæteris aliter quàm maturitate & mole differunt uterque igitur calfaciunt, ſiccant, cardiaci ſunt, ventriculi cruditati & vertigini auxiliantur.

10. *Cinnamomum* Cortex eſt perquam odoratus arboris in Seilan præcipuè creſcentis. Naſcitur etiam in *Java*, & *Malabar*, ſed parciùs & vilioris notæ. *Cinnamomum.*

Cinamomum dictum nonnulli exiſtimant, quòd Sinenſes homines in *Indiâ* negotiantes iſtud frequentiſſimè ad emporia maris *Erythræi* detulere, &

& exinde lignum Sinense sit dictum. *Darchini* enim idem *Persicè* sonat, quâ voce *Avicenna*, *Rhasis*, aliique *Arabes* Cinamonum denotant. Hæc merx inde *Alexandriam* translata, ut Græcis confluentibus divenderetur, à deferentibus alia usis dialecto Cinamonum, i. e. Sinarum lignum odoratum dicebatur.

Cassia lignea cinam. Species. *Cassia* lignea huic virtute cedit, non genere differt (ut quibusdam videtur.)

Cinamomum præstat, quod fragrantissimum est, saporis acris, colore subrubrum.

Calfacit, aperit, discutit, astringit concoctionem adjuvat, menses movet, spiritus fatiscentes exuscitat.

Cardamomum. 11. Semen est Aromaticum, quòd in *Indiâ* annuatim satum ubertim provenit, unde in alias terras ejus indigas devehitur. Magnus est istus usus apud *Indos* & alias quasdam gentes: nam sine ejus admistione nullas carnes mensis inferunt.

Ejus virtutes. Coctionem adjuvat, in capitis & uteri affectibus conducit, flatus discutit, calfacit & viscera corroborat.

Hoc autem non est Græcorum Cardamomum nam ad *Dioscoridis*, & aliorum descriptionem minimè quadrat. Est reverà Avicennæ Sacolaa; quod duplex fuit, *Quebir* & *cequir*. i. e. majus & minus. Et eisdem nominibus etiamnum *Arabum* medicis, & mercatoribus cognita sunt. Cardumeni *Arabum* fuisse Græcorum cardamomum verisimile est: sed quid illud sit, non satis constat. Quibusdam videtur semen cujusdam siliquæ albæ, rotundæ; dictum nonnullis Malegetta ad nos rariùs delatum: officinarum nostratum cardomoma sunt illa *Indica*, *Arabum Sacolaa*.

12. In

12. In veterum culinis *Rhûs* obſoniorum, ῥοῦς ἐπιὸψα erat frequentis uſus. Qui non aliud erat, quàm fruticis coriarii fructus, quo *Hiſpani*, aliique populi in coriis ſpiſſandis hodie utuntur: *Arabicè* & nunc vulgò Sumach dicitur. *Rhûs obſoniorum.*

Antiquitus in condimentis pro ſale & aromatis erat: nec uſus ejus apud *Syros* & *Ægyptios* adhuc exolevit. *Rhus* aſtringit, & refrigerat: inde cibis cœliacorum & dyſentericorum commodè poteſt inſpergi.

Vice rhois malicoria, aut mora immatura ſiccata, & tuſa obſoniis miſcentur.

13. Plurimi in veterum condituris uſûs erat *Laſer*, hoc eſt *Silphii* ſuccus ὀπὸς κυρηναϊκὸς, cujus uſûs meminit *Apicius*. Qui mos, ſi Laſer idem erat atque Aſa fætida, nondum evanuit. Nam in totâ *Indiâ* (Teſtante *Fragoſo*) ſolent coqui *Aſam* juſculis & oleribus commiſcere, aut *Lebetem*, vel Cochleare culinarium eâdem confricare, uti noſtri patinas allio aut *Schœnopraſſo*, quoties ſaporem acutè odoratum, *Gallicè Hault Gouſt*, id eſt, altum guſtum inducere cibis quærunt. Hoc condimentum ſtomachum corroborat, flatus diſcutit, &, quod Indigenæ palmarium ducunt, ad venerem potenter excitat. *Laſer aut Aſa fœtida.*

C A P.

CAP. X.

De oleo Saccharo & melle &c.

I. Sunt quædam secundaria è plantis, sed obstetricante industriâ producta, qualia oleum, saccharum & alia: mel etiam apum, & aerium, quorum naturam & in cibis usum consideratione dignamur.

Oleum. Antiquitas fabulata est *Atticam* à *Cecrope Minervæ* adjudicatum: quod in contentione, quam cum *Neptuno* de istâ terra habuisse fingitur, oleam produxerat; quâ nihil mortalibus gratius, & utilius concedi potuit. Viti non cedit. Vinum enim cum virtutibus magna affert incommoda. Unde à *Mahumede* suæ sectæ; *Romanis* legibus *Matronis*; principibus in sacris literis interdicitur. Cùm oleum, quòd omnibus prodest, universis conceditur. Nobilis est arbuscula *Arabica*, quia dominum oleorum בעל שמן *baal Schemen* profert: sed balsami est tantillum ut paucis sufficiat; cum olei tantus sit proventus; ut omnibus omnium usibus abunde suppetat. Oleum aut à drupis, aut è minùs maturis confit: hoc minùs calidum astringit, & *Omphacinum* dicitur. Illud verò calidius & penetrantius est.

Ol. omphacinum.

Internè sumptum, præter usus medicinales qui innumeri sunt, in acetariis herbarum fructuumque cruditates corrigit: corrosivæ alicujus materiæ, sicubi in ventriculum sit recepta, acrimoniam mitigat, intestina ab ejus injuriis defendit, alvum subducit.

Externè

Externè illitum laſſitudines tollit, & à Cœli injuriis corpus munit, tam caloris, quàm frigoris. In locis igitur calidis, ubi nudi incolæ incedunt, nè cuticula ſolis æſtuantis vehementiâ corrugetur, oleo aliàve pinguedine cavetur: & in Septentrione nè frigore urantur, eodem remedio proſpiciunt: utriſque igitur veſtitûs vicem præbet.

In *Belgio* & alibi oleo à raporum ſemine expreſſo in cibis quidam utuntur.

Septentrionalis Oceani accolis mare pro agro eſt: nam è piſcibus panem habent, & ex eiſdem oleum exprimunt; quod illis perinde convenit, atque optimum olivæ oleum delicatioribus Europæorum palatis.

2. *Saccharum* veteribus notum & quibuſdam *ſal* & *mel Indicum* dictum, non modò *Arabiæ* & *Indiæ* ut olim, ſed *Africæ* & *Americæ* multi tractus abunde proferunt. Succus eſt arundinis cujuſdam, qui ſi è lateribus plantæ inciſis extillat ſaccharum fit puriſſimum. Sed vulgo conficitur arundines molà penſili aut alio inſtrumento confractas aquâ coquendo, donec ſaccharum in fundo cortinæ concreſcat. Candidum fit, & purius coctione in lixivio è Calce, & aquà pura facto, & deſpumatione multâ. Ita tractatum in formas coni inverſi ſimiles effunditur cacumine perforatas, ut quod fæculentum eſt defluat; & eo pacto in metas, quas videmus, elegantes formatur. Cryſtallizatur etiam more aliorum ſalium & Candum dicitur, quod magis candidum aut rubrum, pro ratione ſacchari unde conficitur. *Saccharū.*

Saccharum calfacit, & abſterget, ſed tantò minus quanto ſit purius. Frequens eſt ejus in *Sacch. vires.*

re cibariâ usus, at in re medicâ frequentior, cui usitatissimum asservationis medium; sed quàm recte ambigitur. Itaque sunt qui ob acerrimos spiritus, qui in eo & melle continentur, omnes syrupos & conservas rejiciunt. Et *Willisius* noster in sacchari esum, sed enormem scorbuti grassantis causam rejicit, quod liquor ex eâ, aquâ stygiâ non mitior potest elici. Ex utroque liquores acerrimos aut igni elici aut aliter fieri concedo, sed suspicor aculeos particulis liquorum corrosivis ab igni addi, aut in eo, aliâve corruptione novam aciem eis trahi: in concreto tales ab initio non fuisse. Si essent, probabile est, quod disseminatæ, aut benignioribus implicitæ malitiam suam nequeant exerere. Porro salia quæ ob cognationem metallorum corpora subire & perdere valeant, in cibis modice assumpta innocua sunt, imo salubria.

Sic fructus *Anana* dictus ori & stomacho gratissimus est & adeo salubris, ut neminem ab ejus esu unquam lædi sit observatum: in ejus tamen carne, si cultellum ferreum semihoræ spatio hærentem relinquas, subtilis cujusdam salis acredine semiesum invenies. *Dioscorides* saccharum εὐκοίλιον καὶ εὐστόμαχον pronunciat. Sed modus in ejus usu servandus

Mellatiū. seu Melazum i.e. spuma & faeces sacchari. Hic opportunum est vulgi nostri imperitiam convellere qui Mellatium impuram sacchari spumam & fæces theriacam nominant, & proinde novi vetulas quasdam Clinicas quæ ex eo cum oleo, aut lacte cervisiato omnium morborum remedia ceu à panaceâ promittunt, & ægrotis in quibusvis febribus obtrudunt, quo cum successu facilè conjicias.

Suc-

Succus arboris *cuciophoræ* aliquandiu insolatur & ad Sacchari consistentiam decoctus dicitur *Indis Jagra*, & sacchari arundinacei vicem præstat. *Jagra.*

In aliis orientis tractibus melleum ceratiorum succum exprimunt, eoque ad Zinziberis & multorum fructuum condituram utuntur. Alii *Sapa* fructus condiunt. *Sapa & defrutum* (inquit *Plinius*) *in mellis adulterium excogitata sunt.* *Succus ceratiorũ.* *Sapæ usus.*

3. Sed præ aliis rebus dulcibus *mel* apum primas arrogat. Fit autem è subtilibus plantarum, præcipuè florum effluviis sponte naturæ, aut apum artificio coactis. *Mel.*

Est igitur duplex; unum genus est aereum illud δροσόμελι quod calore solis in aerem elevatum, ibi nocturno frigore condensatur, & mane decidens arborum frondibus & ramis adhærescit: hoc quoties in grana concretum colligitur, *Manna* dicitur. Multis in regionibus hoc invenitur; at nusquam quam in *Syriâ* laudatius: licèt in formulis medicis Calabrum pro optimo præscribatur. Creduntur quibusdam *Arabes Mannæ* usum in medicinam induxisse: at verisimilius est *Romanis* innotuisse & idem esse, ac ros *Syriacus* cujus *Cor: Celsus* & *Columella* meminerunt. *Mel aereum.* *Δροσόμελι.* *Manna.*

Alterum ab apibus elaboratum è superiore partim colligitur; cujus partem puriorem illa insecta in officinas suas delatum denuo recoquunt. Partim quoque ab arborum herbarumque floribus, quos apes vere strenuè circumvolitant, elicitur. Bonitas igitur mellis herbarum, unde hauritur, naturam sequitur. Idcirco pretiosissimum circa *Hyblam* & *Hymettum* montes, herbis fragrantissimis refertos, olim celebratum est. *Mel apum.*

In *Sardinia* præ abſinthii & taxi copiâ amareſcit. *Heracleæ* in Ponto, ut *Dioſcorides* ſcribit, ob rhododendri alioſque noxios flores naſcitur *mel* mænomenon, quo homines in inſaniam aguntur. Et apud nos vilioris notæ eſt, quidquid ericetis conſit. *Mel* virgineum purè apyrum in ſuo genere eſt optimum. Quodque nec herbarum neque florum odores refert.

Calidum eſt, ſed eo minùs, quo magis albicat; ſiccum quoque eſt abſtergens: pulmoni magis quàm hepati amicum, bilioſis eſt noxium. Sed frigidis naturâ & ſenibus eſt imprimis commodum. Unde *Vedius Pollio* ab *Auguſto* interrogatus; quo pacto vegetus vigorem animi & corporis ultra centeſſimum annum cuſtodiviſſet reſpondet: *intus melle, foras oleo* quod *Democrito* quoque aſcribitur.

CAP. XI.

De Sale.

1. POſt Aromata à plantis deſumpta ſalem condimentum unicum minerale ſubnectam. Qui ob inſignes uſus à *Baſilio Monacho* Aroma nobiliſſimum, à *Lucretio Panacea* dictus eſt; & *Plin. lib.* 31. *cap.* 9. aſſerit: *Sole & ſale nihil in mundo magis proficuum.* Res eſt facilè parabilis, & in victu adeò neceſſària, ut perpauci ſint, qui ejus uſu omnino vacent, quin in cibis nonnunquam utantur. Ei aut innato, aut adventitio debetur rerum

rerum firmitas, & duratio; ejuſque ſolius beneficio plerique cibi ſapiunt. Unde data fuit occaſio transferendi vocem: facetias enim, & ſermonis leporem, *Sales*; & ſtupidos, qui his carent, *inſulſos*, *nec micam Salis habere* dicimus. Neſcio etiam annon ſal conferat ingenium. Teſtantur enim eorum hiſtoriæ *Lappas*, aliaſque gentes, qui ſalem non guſtant, *Bardos* eſſe & propè ſtolidos. Et *Homerus* Ὀδυσ. 11. imperitiam populi alicujus deſcribens hæc habet.

Οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
Ἀνέρες οὐδ' ἅλλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσι.

Illi non æquora norunt.
Nec ſale conditis noverunt carnibus uti. *Idem poeta ſalem divinum vocat.*

His *Euſtathius* arbitratur: ἄκραν δηλοῦσθαι ἀγροικίαν mores ſummè agreſtes ſignificari. Multiplex eſt ſalis ortus; & variæ ſingulorum ſpecies. Ex quibus *marinus* cæteris uſitatior eſt, & in cibis maximè expetitus: è maris ſalſugine aliquando arte, nonnunquam caſu conficitur. *Sal Marinus.*

Calore enim æſtivo, ex aquis marinis in brevi palude ſtagnantibus, humorem tenuem hauriente, rigidæ ſalis particulæ in granula κυβοειδῆ concreſcunt: aut aliàs ex iſtis aquis evaporatione ejuſdem humoris igni factà excoquitur: & conſimili ratione ſal fontanus ex aqueà ſalſugine puteis hauſta paratur: qui pro naturà ſoli, per quod ſalinæ derivantur, plurimùm variatur. *Quomodo fit ſal marinus.*

2. Et nè ullis locis de ſale non ſit proſpectum natura in mediterraneis paſſim ſalem nativum factitio non minùs purum in terræ viſceribus condidit, unde effoditur in uſum. Salem hujuſ- *Sal foſſile.*

 modi

modi fossilem *Dioscorides* τῶν ἀλῶν ἐνεργέστερον dixit, Officinis quòd penè transluceat, *Gemmeus* dicitur.

Sal lixiviale. Non novum est *Sal* artificiale è cinere elixiviato elicere, & hoc genus ad naturam Salis communis prope accedit.

Salis filtratio. *Sali* minùs, syncero depuratione opus est. Quæ fit potissimùm: si aquâ fontanâ solutum ritè filtretur, & coquatur donec humore exhausto concrescat, aut aliquanto humidi relicto crystallizet.

Salis vires. *Salis* cibarii officium est calfacere, exiccare, abstergere. Leniter astringit (in Marino latet aliquantum vitrioli) ventriculi cruditatibus, & appetitui dejecto conducit, in colicis etiam doloribus, & alvi, aut urinæ suppressione prodesse potest. At immodicus ciborum salitorum usus non vàcat culpa; scorbutum enim, & Cachexiam sæpè parit. *Arnoldus de villa nova* sal fossile, quod Elixir minerale nominat, ritè usurpatum ad juventutis prolongationem plurimùm conferre scribit. Sed rationem utendi non docet. Vice coronidos sit versus Salernitanus claudicans:

Omnis mensa malè ponitur absque sale.

CAP. XII.

De Aceto.

1. ACetum notissimum intinctûs genus è vino, aliisve generosis liquoribus conficitur

tur cujuſmodi ſunt pomaceum, pyraceum & latices ex arborum ramis, vel truncis deprompti; nimirum betulæ, aceris, utriuſque *Palmæ cuciophoræ*, ſuccus, qui *Indis* dicitur *Tady*. E cerviſiâ etiam, & hydromelite, vel rore Majali. Imo *Helmontius* in libello de ſextuplici digeſtione humani alimenti teſtatur: ſe *Acetum* è merâ *Rhodani* aquâ factum vidiſſe: quam cado, unde Acetum depleverat, ardoribus ſolis artifex exponebat, & ſic (inquit) aquam in ſe inſipidam in verum Acetum tranſmutabat, concepto è cado fermento.

E quibus liquoribus fit acetum.

Acetum è merâ aquâ.

Conſtat in vinoſis liquoribus ſalia inſolatione, aut aliâ ratione exaltata ſulphure depreſſo acorem gratum inducere, quamdiu ſpiritus eorum integri manent, duraturum; iſtis vero avolantibus fit vappa. Et à calce plumbi injectâ dulceſcit. Particulæ enim ſalis Saturnini acetoſo ſali accreſſcunt, & figuras corpuſculorum mutando aciem eorum retundunt.

Acetum à quocunque liquore, modò ſit integrum, appetentiam jucundo morſu excitat: guſtui gratum eſt, & ſtomacho utile; refrigerat, aſtringit. Cum *ſinapeos* ſemine intrito fit condimentum hybernum cum carnibus craſſis, & ſalitis utiliſſimè eſitatum, ſenſus enim purgat, ſtomachi vitiis, & pulmonum medetur, appetitum ciet & concoctionem promovet.

Veteres habuerunt ὄξος γλυκίζον. Cujus præparationē docet Conſtant. li. 1. γεωπονικῶν.

2. In regionibus vitiferis *omphacium*, ex vuis immaturis intinctum non injucundum præbet, & apud nos malorum ſylveſtrium ſuccus ejuſdem vicem præſtat. Nonnulli cerviſiam, aut aquam in quâ vinacea macerata ſunt, Acetum verum mentiri cogunt.

Sinapiū. Omphaciū, & alia quæ pro aceto uſurpantur.

3. Lusitani etiam acidis *Brindonum* corticibus aquâ infusis acetum conficiunt: *Brindones* fructus *Indicus* est inter exoticos supra descriptus.

4. Ex hujusmodi gulæ irritamentis inter se compositis omnimoda ferè fiunt embammata ingeniosa ciborum lenocinia: quæ orexin etiam invitam ad luxum pelliciant. Sed omnibus condimentis anteferenda sunt *Socratica*; Fames, & Exercitium, utpote saluberrima; quibus, quisquis ritè utitur, ei aliis non opus erit. *Spartanus*, qui pisciculos emptos cauponi coquendos tradiderat, cum condimenta caseum & oleum postularetur, respondet, Si hæc haberem pisces emissem? sic qui satis esurit, præter famem ne aliud condimentum quærat.

Fames optimum ciborum condimentum.

Com-



Commentarii de Victu Humano ab Animalibus petito.

PROLEGOMENA DE ZOOPHAGIA.

1. POtiſſimam humani victûs partem ubique à carnibus animalum deſumi conſtat: ſed quàm rectè, inter omnes non convenit. Fuerunt enim olim, & etiamnum inveniuntur qui deliberant; an liceat; alii item, an expediat carnibus omnino veſci. *Zooph gia*

Omnium è literatis primus pereuntium animalium patrocinium *Pythagoras* ſuſcepiſſe dicitur: cui ſuffragari perhibetur, *Empedocles Agrigentinus*: & in oriente multæ ejus ſectæ familiæ Pythagoricam ſententiam in hodiernum diem præfractè tuentur. In animam Philoſopho venerat, & ita diſcipulos docuerat; animas defunctorum *An liceat.* *Pythagoræ & Empedoclis ſententia.*

ctorum in nova corpora tam alienigena, quàm sui generis transmigrare, & proinde, infandum esse scelus, generali illâ cognatione violatâ, animalium lanienam exercere, nec vitam nisi alterius exitio velle producere.

Incertum est an *Pythagoras* suam metempsychosin apud *Gymnosophistas* in *India* peregrinatus didicerat, an eos illam docuerat. Certe constat istam superstitionem in illis regionibus maximè vigere: illic enim *Brachmanes & Manichæi* mercatores, vulgò *Banianes*, aliique *Gusuratæ* & *Cambaiæ* incolæ in eâ persistunt; nec audent à vilissimo animalium vitam eripere imò eadem capta, & peritura, à Christianis, aut *Muhamedanis* nautis pretio redimunt, & redempta manumittunt: sed non sine manifestâ injuria, si verum id esset, quod somniant; animæ enim miseræ in nobiliorem sedem migraturæ prodesset è vili extrudi.

Gymnosophistarũ.

Banianes Zoophagiam respuunt.

Porrò à carnium omnium esu *Essæi*, celebris *Judæorum* secta, abstinuerunt: & in eam sententiam Christiani quidam seminudis pedibus ire videntur. Et apud nos, durante anarchiâ, sub regis postliminium, in agro *Buckinghamiensi* nebulo quidam vitam tristem & severam præ se ferebat, impexus veste crassâ & intonsâ induebatur: omnes carnes detestatus, olusculo tantùm agresti & aquâ profluenti vitam sustentavit, in gurgustio, aut antro cynicè cubans. Invenit tamen, qui sectarentur, præsertim mulierculas: quibuscum & cæteris sociis omnia erant communia. Tandem vero dux ipse gregis ordinem deseruit: viduam enim fatuam, at opulentam nactus eam duxit, & exinde genio, quem diu defraudaverat, lautè indulsit. Ex illo partim victûs tædio

Et Eßæi.

Et religiosi quidã.

Historia nebulonis qui à carnibus abstinuit.

dio, & partim, ducis exemplo ſecta evanuit, ſectatoribus ad carnium, & vini uſum priùs interdictum cum eo converſis.

Ut iſti, de quibus modo memini, ab omnimoda ſarcophagia pariter abhorrent; ita alii paſſim occurrunt, qui quædam animalium genera ſatis obſtinatè averſantur, aliis verò libenter veſcuntur. Hinc accolis *Gangis*, & aliis quibuſdam *Indis Bovem*, (quod genus animalis adorant) mactare perinde eſt, atque hominem jugulare. *De eis qui religionis cauſa à quibuſdã carnibus abhorrent.*

Incolæ *Regni Congi* in *Africâ* ab eſu capreolorum abhorrent, nec audent ollam, in quâ cocta fuit eorum caro, digitis tangere; quippe ſi id facerent, credunt ſe morbo protinus tentatum iri pyafetta.

Nonnulli etiam *Ægyptiorum* oves, capraſque ſuperſtitioſe ſunt abominati. De quibus *Juvenalis*, qui inter eos, cum imperio aliquandiu egiſſet, hæc habet.

---Nefas illic fætum jugulare capellæ.
Carnibus humanis veſci licet.---

Ægyptiorum vanitas.

Certè vaniſſima eo tempore fuit *Ægyptus*; & cùm fere ſinguli homines ſua habuerunt numina, & unuſquiſque aliena oderat, non mirum eſt, ſi multa carnium genera illic nonnullis odio fuerunt. *Chæremon* apud *Porphyrium* de ſacerdotibus *Ægyptiis* tradit, quod Ἰχθύων ἀπείχοντο πάντων· καὶ τετραπόδων, ὅσα μώνυχα, καὶ πολυσχιδῆ, ἢ μὴ κερασφόρα· πτηνῶν τε, ὅσα σαρκοφάγα. *A piſcibus abſtinuerunt omnibus, & à quadrupedibus, quotquot ſolidas habent ungulas, aut multifidos pedes, nec cornua gerunt: ab alitibus etiam, quæ ſunt carnivoræ.*

Muhame-

Muhamedani à suillâ abhorrent. Et Judæi.

Muhamedani, cujuscunque sunt gentis, religioso instituto suillam perosi sunt: & *Judæis* à lege *Mosaica* præter suillam multis carnibus interdictum fuit. Quotquot igitur ei legi abrogatum fuisse negant, ab animalium istorum esu tactuque religiosè abhorrent. E bestiis nullæ permissæ erant, nisi quæ pariter & ruminantes erant, & bisulcæ. *Munsterus* scribit, decem mundorum quadrupedum numerari species.

Quæ bestiæ.

Qui pisces.

Pisces, qui squammas, aut pinnas non habuerunt, erant vetiti.

Quæ volucres erant vetitæ.

Numeravit *Moses* avium, quibus in cibos uti, haud erat licitum, viginti quatuor species, sed ferè *Judæis* ipsis nunc incognitas. Certissimum immunditiei indicium statuunt rapacitatem. Porrò omne reptile volatile erat impurum, nec eo vesci licuit.

Omne reptile.

Quibus carnibus &c.

3. Ut populi modò dicti, legibus, & religionis instituto, à quibusdam carnium generibus arcentur; ita aliæ gentes singulæ aliquas carnes esitant, quas aliæ exosas aut inusitatas respuunt solâ patriâ consuetudine ad id inductæ; pro ratione autem regionum, quas incolunt, homines victu differunt. Qui enim in frigidioribus locis versantur, crassiori cibo ferè contenti sunt.

Septentrionalium cibi.

Maritimi Septentrionis populi *Lappæ*, *Samoiedei*, aliique Oceani glacialis accolæ piscibus plerunque victitant: mediterranei vero eorum *Tarandos* dictos, vulgò *Rangiferos*, frequentes habent: quorum operâ pro jumentis utuntur; lacte etiam & carnibus eorum se suosque alunt. Iidem autem, quoties opiparè, & apparatè libet edere, ursinâ, lupinâ, aut vulpinâ carne mensas

menſas inſtruunt. *Angli*, *Germani*, & *Poloni*, qui lætis-paſcuis abundant, pecoris cujuſvis carne veſcuntur; at frequentiùs *Bovillâ*, & *ſuilla*. *Itali* & *Siculi* minori pecore potiùs in cibis utuntur. *Hiſpani* antiquam frugalitatem imitantur; raró ſaturantur; carnes parciùs edunt, quas regio ſterilis malignè ſuppeditat. *Anglorum Germ: & Polon.*

Galli ex omnimodá carne, ſed multis condimentis pro ſuo more ſcitè præparatâ, guſtui varietate ſaporum placere, quam ventres ſaturare potiùs ſtudent. *Turcæ* ovillà & caprinâ cum oryzâ elixis, & cardomono conditis plurimùm delectantur. *Gallorum.* *Turcarum.*

Tartarorum Nomadum, qui latiſſimam orbis partem occupant, feritati, & ventriculis, equina cum hippace ſua convenit, eáque ſemicruda, aut tergore ſuo cocta; dum ei ſubſtratæ equites inſident quibus item ſanguis cum lacte equino pro potu eſt. *Tartarorũ cibi.*

Arabibus camelina placet, quorum, & *Afrorum* uſui illud animal natum videtur.

Ægyptiis bajulis, ut teſtatur *Galenus*, et Camelina et aſinina in cibos olim *Alexandriæ* venerunt: neſcio an patientiam eorum animalium, et robur inde ſperarent. Fuerunt enim, qui generoſis animantibus præ aliis libentius veſcerentur, quod nobiles eorum indoles eo eſu in ſuos animos transferendas expectarent.

Sinenſes aſinos edunt, et in eorum urbibus canes in macello, more pecudum ſaginati, venum proſtant. *Sinenſium & aliorũ.*

In provinciâ *Bengalæ* ad ſinum *Gangeticum* naſcitur *Rhinoceros*, Beſtia ea eſt ſecundum elephantum omnium maxima; quam natura cornu in naſo, & firmâ loricâ ex omni parte munivit:

ſed

ſed neque moles, aut munimentum eum ab hominum gulâ tueri valent.

In iiſdem locis veſpertiliones eduntur quos in illâ regione, aliiſque quibuſdam habent Gallinis Domeſticis penè pares.

Afrorum victus. Sed *Africa* alias terras multis paraſangis ἀγειοφαγίᾳ præcedit. Monſtrorum ea eſt feraciſſima, & multas animalium ſpecies alit reliquo orbi ignotas; quarum ferè omnes aliqui ejus incolæ in cibos recipiunt.

Serpentum igitur quædam genera, Lacertas, & voraces crocodilos illi avidè vorant. Elephantes magnitudine inſignes, & leones, pantheræque ferociâ famelicos hominum ventriculos non effugiunt. *Herodotus* ſcribit *Zygantes* mediterraneam *Libyæ* gentem ſimiarum, quarum varia ſunt genera, carne victitâſſe. Sed utinam ab iſtis hominum ſimulacris ad ipſos homines ferus eorum appetitus non tranſiiſſet. Multi *Afrorum* immanes, ſunt anthropophagi, cujuſmodi in *Angolâ* inveniuntur, qui nomina dant militiæ non alio ſtipendio, quàm occiſorum, aut captorum carnibus conducti. *Giacchi gens immanis.* Et *Giacchi* immaniſſimum hominum genus, (niſi eo nomine ſint indigni, qui omnem humanitatem exuerunt) generi humano bellum indicunt; non ut imperent, ſed vorent. Porrò mihi, de immani horum ingluvie locuto, in mentem venit Locuſtarum, generis voracis & terribilis, ſed iſtis longe mitioris: harum immenſa examina quibuſdam *Africæ* provinciis nonnunquam inſident; ubi quicquid viride eſt, rodendo, momento ferè ſpem agricolæ omnem deploratam reddunt; ſed prædones fiunt prædæ: nam populi ἀκειδοφάγοι, amiſſis frugibus, illas

colle-

collectas in cibos coquunt.

Jam verò In *Americam* trajiciamus, ejus victum consideraturi.

America jam *Europæo* pecore abundat, olim tantum suis feris contenta. Septentrionales illius partes cervinâ ferè victitant: suppetit etiam piscium, & volucrum, quas edunt, copia: in paludosis quibusdam tractibus bufones nascuntur ingentes sed innocui; hos coquunt, & victum putant saluberrimum. Hoc fit in *Durienè*.

Hi populi etiam *Alegartos*,(genus est *Crocodili*) scincos quoque, & serpentes diversas venantur, quorum carnibus suaviter vivunt. *Americanorum.*

Guanæ incolæ, & *Brasilienses* feras habent innumeras *Europæis* ignotas, volucres item & serpentes è quibus cibos parant.

Multi horum fuerunt Anthropophagi & adhuc sunt: quos ad tantam immanitatem suavitas turpis vindictæ excitavit: detestabile hoc malum; sed fædius *Caribum* institutum, qui quotannis longinquas navigationes in monoxylis suscipiebant, homines, quos vorarent, venaturi; idque nullâ injuriâ lacessiti; sed fædæ gulæ libidini mancipati: quasi humana esset ferina, nihilque inter hominis & bruti vitam interesset. Hujusmodi autem inhumanitatem in *Americæ* maritimis Europæorum autoritas, & exempla penè deleverunt.

4. Ex iis, quæ dicta sunt, liquet, vix inveniri ulla animalia, quorum carnibus aliqui mortalium non vescantur: sunt tamen, qui de omnimodæ sarcophagiæ utilitate ambigunt; & argumento à corporis humani constitutione desumpto, negant illius- *An expediat &c.*

illiuſmodi cibos homini conceſſos, ſed invitâ naturâ uſurpari. Quippe illa cætera animantia inſtrumentis cibo ſibi proprio capiendo idoneis armavit: homini verò nec celeritatem, nec uncas manus conceſſit, quibus prædam aſſequatur, & prehendat: neque rictûs habet firmitatem qua confringat; nec ventriculi, quâ crudam concoquat: hæc autem quoties fiunt, arte, non naturæ operâ perficimus. Oluſculis autem & fructibus legendis homine nihil aptius creatur.

Incommoda creophagiæ. Porrò iidem aſtruunt, naturam noluiſſe morborum fomites, pro cibis ſuggerere, quales ſunt cadavera, quæ ore ſumpta ſanguinem particulis ſulphureis imbuendo, ſpiritusque perturbando ſæpe immanes morbos cient. Et qui carnes multas ad ſatietatem eſitant, ſtuporem brutorum, quæ vorant, aliaſque qualitates tandem exprimunt. Idem *Theopompus Comprobator cœnæ Platonicæ* ſcite ſcribit. Πολλὰ κρέα φαγεῖν τοὺς μὲν λογισμοὺς ἐξαιρεῖ, καὶ τὰς ψυχὰς ποιεῖται βραδυτέρας, ὀργῆς δὲ καὶ σκληρότητος καὶ πολλῆς σκαιότητος ἐμπίμπλησι. i. e. carnibus multis veſci rationem adimit, animoſque efficit tardiores, eoſque irâ, immani duritie, & ſtultitiâ complet.

Cur Moſis inſtituto quædam immunda. Ob conſimilia incommoda nonnulli Hebræorum putârunt ciborum delectum in Lege *Moſaicâ* inſtitutum; quod immundæ carnes homines in cultu Dei remorentur: dum vim digeſtivam debilitant, & toti corpori *Dyſcraſiam* ejuſmodi inducunt, ut anima nihil præclari agere valeat. Et eandem ob cauſam adipis bovini eſus prohiberi videtur: *Levitici. Cap.* 7°. *Maimonides* diſertè ait; quia ſtomacho nocet. Sanguis quoque eodem loco vetatur tam avium, quàm pecudum.

Vox

Vox *Hebræa* significat; quod super terram incedit: & inde *Hebræi* intellexerunt piscium sanguinem non vetitum; quod aliorum animantium sit temperatior.

Nonnullis itidem visum est: quod esus carnium non nisi à *Diluvio Noachi* fuit permissus & considerant, quod ab illo tempore spatium vitæ fuit contractum, & ex eo esu tarda priùs Leti necessitas corripuit gradum, nec mirum, si tanta ei appendeant incommoda quot diximus.

5. Sed qui isti opinioni refragantur, docent rationem homini pro armis, & instrumentis quibuscunque concessam, quâ quicquid vitæ humanæ sit necessarium fabricat; nam omnia, quæ multiplici vitæ nostræ actioni opus essent, innata perpetuò gestare si non impossibile certe esset operosum, nec decorum. Homo autem ratione fretus non minùs feris assequendis quàm frugibus percipiendis fit idoneus. Errare quoque eos arbitrantur, qui asserunt plures & graviores morbos à carnium, quàm fructuum esu oriri. Consule *Vespillonum ephemeridas*; & plurimos quovis autumno invenies, cholerâ, dysenteriâ, aliisque morbis à fructuum fugacium esu excitatis extinctos; at læsos à carnibus ingestis raros. Porrò è plantis, & fructibus, sunt quædam venenata: cùm nulla quadrupedum, aut volucrum integra caro qualitate suâ necat. Nec audiendi sunt, qui carnes injuriæ cerebro illatæ reas agunt: satietas enim & repletio, quæ id mali ferunt, sunt personæ assumentis, non cibi vitia: fructuum, imò panis repletio idem faciet. Et vinum generosum, quod ingenium maximè acuit, immoderatè sumptum ejusdem aciem retundit.

Commoda à carnium esu.

Tandem si concedas carnium esum ante *Noachi* diluvium non permissum; non tamen inde concluditur; ab earum usu vitam contractiorem fieri: constat enim, id Dei jussu factum, cujus nutu, anima fuit primò creata. *Pythogorici Manichæi*, ut supra diximus, in *Cambaia* & *Gusurate*, frugibus tantùm victitant, à carne abhorrent, at non sunt *Muhamedanis* suis popularibus, qui carnes libenter edunt, vivaciores.

Hinc credimus & licitum esse & utile carnibus vesci; sed immodicum & intempestivum earum usum aliquando nocere.

De crudarum carnium esu.

6. Homines, quibus amplissimam ciborum varietatem indulsit natura, ratio carnes igni coquere docuit. Unde inter maximè barbaros vix usspiam inveniuntur omnino crudivori. *Æthiopes* & *Americani* anthropophagi carnes non crudas vorant. *Brasilienses*, quicquid bello, aut venatu capiunt, super cratem ligneam, illis dictam *Boucan*, torrent. Tartari quidem, ut olim *Scythæ* carnes ephippiis subjiciunt, ut multâ agitatione calfactas edant. Sed non nisi bello, aut longo itinere, ubi per alia negotia non vacat igni coquere, id faciunt.

Crudarum carnium incommoda.

Crudæ carnes ori & stomacho, nisi canino, vix congruunt: nam insuaves, & ferè insipidæ sunt, & nauseam cient: ægrè concoquuntur: & plerunque putrescentes, febres, aut infestas choleras diarrhœas, & dysenterias inferunt.

Varii carnium coquendi modi.

Varios carnes coquendi modos habet culina; teneris & humidis animalium juvenum carnibus assatio ad ignem luculentum competit. Aliæ frixæ, aut craticulâ, vel prunis tostæ mensas ornant, & gustui placent. Sicciores elixantur

in

in aquâ purâ aliove idoneo liquore.

Duriuſculæ adultiorum partes non aliâ opſopæiâ tam commodè parantur quam coctione in furno, aut clibano. Quæ ſine humore ita coquuntur, aſſis ſunt ſimilia: ſin accedat liquor aliquis, elixa referunt. Aſſatæ carnes ſunt ſapidæ ſucco intus detento. Elixæ verò alieno humore ſunt humidæ; ſuo, elixatione aliquatenus evocato.

Utra ſit ſalubrior aſſa, an elixa, non eſt ſimpliciter dicendum.

Aſſæ iis potiſſimùm competunt, qui temperamento ſunt pituitoſo, aut morbis frigidis & humidis laborant, hydrope, catarrhis, lue venereâ, aut pertinaci diarrhœâ. &c.

Elixæ autem ſicco temperamento præditis, bilioſis, eiſque qui calidis & ſiccis morbis afficiuntur, quibus alvus nimis aſtricta eſt, in regionibus æſtuantibus & calidâ anni tempeſtate maximè proſunt.

Ex *Corn. Celſi* ſententia. *lib.* 4. *cap.* 10. res eadem jurulenta magis alit, quàm aſſa; aſſa, quàm frixa.

Certè aſſa, & alia ſicco calore cocta, tardiùs & ægriùs, quàm elixa, quia ſunt humida, digeruntur: at ſecundum alios minoris ſunt nutrimenti elixa: quòd aſſa plus humidi genuini continent.

CAP. I.

De carnium proprietatibus in genere.

1. CArnes ejuſdem generis quibuſdam de cauſis plurimùm inter ſe differunt, & ætate à ſeipſis: nam animalia lactentia, aliáque recenter nata humiditate ſuperfluâ abundant, & carnes præbent eſu tenerrimas; adultiora autem firmiores habent, & laudatius faciunt alimentum: ſed quæ ultra ætatis ſuæ acmen provecta ſunt, quò propiùs ad ſenium vergunt, omnia præter piſces aliquot magis arida fiunt & exucca, quorum nonnulli & alia forſan aquatilia ſenio ad bonitatem proficiunt, & pro mole corporis in ſuo genere eorum æſtimantur carnes.

2. Sexus item in carnibus non exiguum efficit diſcrimen: gravior enim earum in maſculis ſapor & nonnunquam odor, quam fæminis, at id vitii caſtratione ferè emendatur, quâ temperamentum maſculinum in aliud mitius, & penè fæmineum tranſit.

3. Alia inſignis carnium differentia à victûs diverſitate oriri videtur. Quæ in Inſula *Sumatrâ* & aliis quibuſdam locis *Indiæ* vicinis tanta eſt, ut non modò earum ſapor cum odore, ſed & calor mutetur, bubalina enim, & boum gallinarumque caro cum ipſis oſſibus illic nigreſcunt, at guſtu ſunt ſuaviſſimæ: porrò apud iſtos ſuilla, utpote concoctu faciliima à medicis ægris commendatur, rejecta ovilla, quæ illis eſt δύσπεπτος nobis non
item

item: ideo apud nos contraria præcipiuntur.

4. Sic ſingularum ferè regionum animantia peculiares habent qualitates, quibus ab aliis diſtinguuntur. Sed quæ maximè ſecundum naturam vivunt liberéqne vagantur, reliquis in ſuo genere ferè præcellunt, unde ferinæ præ pecude domeſtica tanta ſaporis gratia, & apud pleroſque æſtimatio. Porrò & in feris, & pecore manſueto quicquid montana incolit, & in eis paſcitur carnes præſtat ferè ſuaviores, & ſanas, quod ſicciores ſint, & excrementicii humoris magis expertes, quàm paluſtrium.

5. Et quantum valeat pabulum in ſapores mutando aperte monſtrat ſuilla, quam quà materiâ ſaginata fuit, nonnulli guſtu ſciunt dijudicare & omnes propemodum norunt quantum intereſt inter eam, quam lanii alunt, & carnem ſuum agreſtrium, qui glandibus veſcuntur.

Fertur accolas maris glacialis boves inopiâ pabuli commodioris piſcibus ſuo more paratis hyeme paſcere, & carnes eorum, & lac exinde piſcem olere. Animos etiam alimentis mutari innuit *Galenus*, dum in *lib.* 3. *de alimentorum fac.* ſcribit *Aſininos* homines *Aſinina*, & *camelina* veſci.

Arte quoque, & ingenioſâ conditurâ mille modis variantur carnes, ut eaſdem eſſe non cognoſcas. Venatu, & aucupio fiunt conditiores, & ſi aliquandiu ante coctionem ſuſpenſæ aſſerventur, inteſtino partium à ſe invicem diſcedere parantium motu evadunt teneræ, & guſtui gratiores.

CAP. II.

De partibus Animalium.

1. CONsideratione item digna est diversitas, quam in cibis partes ejusdem animalis exhibent: quæ quidem tanta est, ut nepotibus luxuriosis, aliisque gulæ proceribus totum animal unius particulæ gratia sæpe expeteretur: *Phœnicopterus* totus olim placuit: at linguam ejus præcipui esse saporis docuit *Apicius*. Unde *Martialis*. *Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis Nostra placet.*

Imo eò crevit luxuria, vulgaria fastidiens; ut quidam non erubescerent affirmare, nullam avem præter ficedulam totam comesse oportere: cæterarum avium, atque altilium nisi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putârunt inopiâ sordere. *Phavorinus* apud *Gellium*.

Infamis fuit *Æsopi* histrionis patina, quâ avium humano sermone vocalium linguas singulas HS VI emptas cœnabat. Quam dementiam superavit *Heliogabalus*, ut facile potuit Imperator. Qui, ut *Spartianus* testatur, mensæ Lusciniarum linguas, gallorum cristas & camelorum calcanea convivis apposuit: nescio utrùm sapore, an pretio magis delectatus, quòd talibus, quæ pluris constant, magis placent, raritate mirabili gulam irritante.

Romanis

Romanis helluonibus *Sumen*, quod erat abdomen suillum uno die post partum excisum, præsertim primiparæ in summis habitum fuit deliciis.

Publii Mimi, qui nomen suminis ei imposuit, nulla cœna, postquam servitutem exuerat, sine abdomine memoratur. Sed maximo in pretio fuit vulva suis ejectitia.

Et suum & anserum altilium à chenoboscis materiâ aliquâ dulci saginatorum jecinora celebratæ erant decoctorum dapes, censoriis legibus cum sumine, glandiis, testiculis, sincipitibus verrinis frustra cœnis interdictæ: invaluit enim contra leges luxuriæ consuetudo & luxuriæ vulgaria fastidientis.

2. *Capita, & pedes* animalium, quia ferè constant è partibus exanguibus, vulgò spermaticis, & minus meræ carnis, quam reliqua membra habent, frigidum præbent succum, & glutinosum; jus igitur in quo coquuntur, congelat. *Capita.*

3. *Cerebrum* cum appendice spinali medullâ ferè insipidum, crassum suppeditat succum, & pituitosum, nec facilè coquitur. *Cerebrum.*

4. *Lingua* & saporis suavitate, & alimenti bonitate reliquas præcedit partes. *Lingua.*

5. *Cornua*, quis crederet, in cibos venire? sunt autem cervorum recens enata, & adhuc mollia magnatum epulæ. Sunt verò sive frixa, sive elixa, crassa, viscida, terrena, fungosque & sapiunt & olent. *Cornua.*

6. *Hepatis* caro, quæ simplicissima, seu parenchyma, est sanguinis affusio, ut *Erasistrato* placuit, non facilè coquitur, crassum præbet alimentum; at firmum: magnáque in hâc parte est *Hepar.*

 cibi

cibi varietas non modo secundum ætatem, & speciem, sed etiam ob pabulum, & pleniorem animalis nutritionem: animalia enim minùs adulta delicatius & mollius jecur habent; & pleniori quoque & dulciori pabulo fit hepar grandius, delicatius, & magis succulentum.

Cor. 7. *Cor*, quod reverâ est musculus carnem habet reliquæ carni musculosæ proximam, succum ferè dat bonum, firmum & stabilem. *Pythagoras* præcipit μὴ ἐσθίειν καρδίαν sed allegorice.

Pulmo. 8. *Pulmonis* substantia rara est, & levis, at non malum præbet alimentum.

Lien. 9. *Lien* etiam dicitur parce alere, nec facilè distribui, sed quibusdam digestivum putatur.

Renes. 10. *Renes* animalium adultiorum, & quæ coeunt, in cibis non commodè adhibentur; hircosum enim olent, crassumque præbent succum: at in teneris animalibus, putà agnis, aut vitulis melioris sunt succi, & facilè coquuntur.

Testes & prostatæ. 11. Item *testes* adultiorum & prostatæ perinde ac renes, virosi sunt, & insuaves; in junioribus laudatiores, & grati saporis. Ante omnes testiculos *Gallinaceorum* probat *Galenus*, asseritque esse suavissimos, & corpori maximè laudabile præbere alimentum.

12. Sed præ omnibus glandulis, quæ ferè suaves sunt, jucundissimi saporis sunt *thymi*, & *pancreatis* parenchymata: nec mirum, si illæ glandulæ, ut verisimiliter censet D. *Whartonus* qui de eis accuratè scripsit, succum nerveum, qui dulcis est, aliquibus de causis excipiunt: hæc igitur prompte nutriunt.

Ventriculus. Et intestina. 13. *Ventriculus* animalium *& intestina* durioris quàm viscera sunt substantiæ, frigidæ etiam & siccæ

ſiccæ naturæ nec à quovis ventriculo facile queunt concoqui. *Omaſum* tamen inter veterum delicias non infimum locum tenuit: & *Souldaniæ* incolis ad *Promontorium bonæ ſpei* tanti ſunt bubula inteſtina, ut bovem adnavigantibus *Europæis* vendituri inteſtina recipiant quæ collis appendentes immunda, necdum ſtercore purgata, fædè vorant.

14. Freqnentiſſimi autem uſûs in re cibariâ eſt *Caro muſculoſa*, quæ multis modis, ut ſuprà innuimus bonitate differt: at præcipuè ſecundum ſpeciem. *Caro muſculoſa.*

CAP. III.

De carnis muſculoſæ qualitatibus ſpeciatim conſideratis.

1. SUS animal eſt maximè brutum &, niſi eſui carnes valde commodas præſtaret, homini eſſet inutile. Quare anima ei pecudi tantùm pro ſale data vulgò dicitur. *Suillæ*, & ſi totæ gentes & ſectæ eam rejiciant, *Galenus* & multi medici eum ſecuti primas in cibis tribuunt: nec ullas carnes ei conferendas cenſent. Sed quicquid iſti ſenſerunt, conſtat experientiâ porcinam è ſuibus domeſticis ob animalis inertiam et pabulum immundum, excrementicia humiditate et pinguedine ſtomachi firmitati adverſâ abundare; *De Suilla.*

ali-

alimentum verò crassum & lentum suppeditare. ideoque *Judæis* interdicta putatur & etiamnum Arabibus invisa est. Robustis & multo labore exercitatis potissimum conducit. Imbecillis verò, vulneratis, ulcere, aut scabie laborantibus, multum nocet. Quapropter *Jul. Scaliger in lib. de plant.* eos omnes vecordiæ meritò arguit, qui eam etiam perdicibus præferunt. *Varro* de hoc animali videtur plura transcripsisse, quâm credidit. Dum scribit suem in *Lusitaniâ* fuisse occisum, cujus lardum à cute ad os fuit pedem & tres digitos: & tales à muribus arrosos, morsus non sensisse.

Aprugna. *Aper* dicitur propter convivia natus, et reverà carnes aprugnæ, quòd sues sylvestres liberiori aere, et puriori fruuntur victu, domesticis suaviores et sicciores sunt, et ferè *Galeni* encomio dignæ.

Callus. *Callus* etiam, quem è domesticis apris paramus; siccus et frigidus, et licet non promptè in ore aut ventriculo solvatur, tamen concoctus copiosè nutrit: sed *porculi lactentis* Caro nimis humida est et excrementicia, apoplecticis et paralyticis noxia, pellis retorridâ palato arridet: sed ægrè concoquitur.

Ovina. 2. *Ovis* animal est homini utilissimum, vestimentum et cibum præbens. Duplex ejus est species. Altera lanigera et nobis notissima; *Asiæ* notior est altera pilo crasso et caudâ adiposâ, et tantæ magnitudinis, ponderisque, ut pastores eis rotulas, quo tantum molis commodiùs ferant, subjicere cogantur. Nonnulli tertiam addunt, scilicet quo in quibusdam *Americæ* et *Africæ* (ni fallor) locis, oneribus ferendis vice jumenti utuntur.

tuntur. Et ovium harum (modo oves ſint, *Camelos* potiùs referunt) duplex item genus eſt: Alterum *Peruvianis Paco*: Aliud *Maromoro* dictum.

Agnina ob teneritudinem & novitatem primo vere expetitur. At nondum annicula, humida & viſcida alimentum parit excrementoſum. Ovina autem quæ annum exceſſerit, præſertim vervecina ſiccior, & ſalubrior eſt, et omni hominum ætati convenit. *Arietina*, quia *Hircoſum* ſapit, minùs placet. Carnes laticaudæ ovis priori ſaporis bonitate cedunt. Tertii generis caro à nonnullis ſaluberrima & optimi ſaporis eſſe perhibetur. Ovium affines ſunt, *Muſimon & Nabis Plinii*: quam dixit ovem feram. ***Agnina.***

3. *Hædi lactentis* caro humida eſt, guſtu ſuavis et tenera: idem verò lacte depulſus ſtatim olere incipit, et carnes minùs gratas habere, niſi juvenis caſtretur: caper autem tempeſtivè factus meliùs ſapit. Hircina concoctu difficilis eſt et ob graveolentiam et duritiem ventriculo niſi valdè robuſto, aut famelico ægrè ferenda. ***Caprina.***

Rhaſis ad Almanſor ſcribit: Caprinam magis quam ovillam refrigerare, at parùm nutrire. Alii cenſent plurimum alere. Fertur *Thebanus* quidam pugil caprinâ ſolâ veſci ſolitus, omnes ſuæ ætatis *Athletas* viribus ſuperaſſe.

Animal in cujus viſceribus naſcitur *Lapis Bezoar*, *Garcias*, qui *Goa* viderat, Hircum vocat, alii *Capricervum*: uſus horum Lapidum in medicina *Arabibus* 600. ab hinc annis primum innotuit. Vereor autem, ut ſinceri ſint, qui noſtris officinis væneunt: copia ſuſpectos reddit, ſiquidem decuplo plures habemus quam *Perſia* et *In-* ***Pazar capra Perſica.***

dia queunt mittere aut *Hircos* istiusmodi mactant. *Cl. Zuclferus* ab *Hebræis Lusitanis* adulterari credit. *Schroderus* asserit, è lapidum ramentis & pice (puto potius è *Lacca Bezoar*) orientali fingi.

Bubula. 4. *Bubula* nostris cibus est maximè familiaris, & in mensis plerisque caput cœnæ. Quamdiu *Vitulina* est, saporis dulcedine aliisque dotibus agninam; & hædinam ferè superat. At in consistente animalis ætate durior fit, & crassa, lentoris tamen expers. Alimentum corpori ubertim suggerit: idque firmum, nec facilè dissipabile. Attamen à *Galeno libro* 3°. *de aliment. fac.* vitii gravis notatur quasi sanguinem crassiorem reddendo melancholicos affectus, sæpe, & copiosè comesta cieret. Sed quicquid *Galenus* in regionibus, quibus versatus est, observavit, in nostris nil istiusmodi apparet, Videas enim è nostratibus, ubique quam plurimos, qui solà *Bubulâ*, eâque fere salitâ victitant, ab istis affectibus, aliisve morbis immunissimos, strenuos, & ad omnia munia obeunda promptissimos. Magna est in hoc pecore pro natali solo staturæ, & qualitatum differentia.

Plin. scribit boves indicos altitudine camelis æquari: sunt igitur duplicis generis. lib. 7. cap. 45.

In *India* boves sunt exigui, vix asinis nostris pares, at pernicissimi. In montanis quibusdam locis ad Boream vergentibus, frigidis, & sterilibus *Boves* vix istos staturâ superant, cornibus etiam carent. At *Anglia*, & *Belgium* multos proferunt, qui asinos magnitudine tantum superant, quantum *Elephantis* maximis mole cedunt.

Hi pascuis fragrantibus, lætisque pasti aut fæno, alioque pabulo idoneo saginati carnes præbent

bent egregias, succulentas & saporis præstantiâ nulli secundas. Sed siquis forsan seniles bovis emaciati artus depasci cogeretur, eas vix hoc enconio dignas inveniret: sed rariùs id fit, ubi meliores abunde suppetunt.

Ægyptus olim, & aliæ superstitiosæ gentes huic animali divinos honores tribuerant, & quædam *Indorum* sectæ idem impie facere etiamnum non destiterunt: sed non ob carnis præstantiam, quam *Linscotenus* testatur, in *Indiâ* vilissimam esse. In *Sumatra* aliisque *Indiæ* tractibus boum carnes nigrescunt. *Ægyptiorum veterum superstitio.*

5. *Bubali* sunt boum affines, *Italiæ* hoc tempore familiares, sed calidioribus terris oriundi. *Plinius* eas non viderat: ut ex ejus descriptione videtur. Operâ eorum in agriculturâ utuntur, & in cibis lacte, & carnibus. Caro *Bubalina* est concoctu nimis difficilis, crassa, & ob ista vitia nostrâ bovillâ longe deterior: imo in *India* vix esculenta ut narrat *Huginus*. *Bubalina.*

Urus, *Bisons*, & *Taurus Mexicanus* aut iidem, aut affines esse videntur, omnes, boves feri sunt; qui certè carnes præstant sicciores & aliis minùs excrementicias. *Urus. Taurus Mexicanus.*

6. Præter animalia domestica pleræque feræ in usum cibarium veniunt imo præ aliis in deliciis sunt. Ferina autem optima è cornigero sylvestrium genere desumitur. *Ferina.*

Et in eo caprearum caro excellere videtur. Membra enim pernicis animalis ut nonnullis visum est perpetuò ferè *saltu* agitata carnes tenerrimas, sapore jucundas, concoctu faciles, & nutrimenti eximii habent. *Caprearũ caro.*

Gazelæ

Gazel: Ibycum & Strepsicerotum. *Gazelæ* item; *Ibices*, & *Strepsicerotæ* earum cognati carnes istis non absimiles exhibent. *Rupicapræ caro* diarrhœæ & dysenteriæ convenit. Hujus classis sunt *Damæ Plinii* nostri *damæ sunt platycerotes*.

Cervina. 7. *Cervina* apud nos, præcipuæ procerum dapes, sudore & fame venatu partis commendatur. Valentior est, & crassior cervorum, quam damarum caro. Sed utraque sicca, difficilisque coctionis est: apud medicos nonnullos propter succum melancholicum, quem generare creditur, non optime audit. At divites ferè multis vini generosi cyathis inter edendum haustis huic incommodo occurrunt. Certè rectè tractatns, cibus salubris est, & validum præbet nutrimentum. *America*, quæ, cùm primùm inventa est, animalibus plerisque aliis *Europæis* caruit, cervis, & *Damis* semper abundabat: eis igitur nunc potissimùm aluntur indigenæ. Cervinæ æmulæ sunt *rangiferi*, & *Alces* carnes, & omnibus qualitatibus inter se fere conveniunt.

Plinius lib. 8. *cap.* 32. scribit se principes quasdam mulieres novisse: quæ cervinam omnibus diebus matutinis gustare solitæ, longo ævo, caruissent febribus: forsan, quod animal putatur aliquot esse seculorum, longævitatem inde sperârunt. *Avicenna* autem tradit cervinam annosam quartanas inducere.

Leporina. 8. *Leporina* magnatibus tanti habita est: ut in nonnullis provinciis, plebeiis mensis sit interdicta: non tamen culpâ omnino vacare creditur. *Galenus* sanguinem crassiorem gignere contendit, eique multi alii medici subscribunt. Sicca quidem est, et dura: sed diuturna venatione fatigata

optimus,

optimus, & laudabilis cibus fit. Esus frequens leporinæ floridum faciei colorem conciliare putatur. Itaque boni succi est; in quâvis parte: at *Epicureus Horatianus* armos tantùm commendat inquiens.

Sapiens leporis sectabitur armos.

9. Mollior Leporinâ est *cuniculorum caro*; sed & humida, & excrementitia: in latebris subterraneis desident, aut non procul pabuli causâ prorepunt: itaque minùs quàm lepores exercentur, nec venatione eorum carnes emendantur, fætus ventre exectos, vel uberibus ablatos gratissimo in cibatu habent. Animalia sunt fæcunda, & superfætantia. Talia benigna natura esculenta innocua generavit. *Cuniculi caro.*

CAP. IV.

De quadrupedum carnibus in cibo rarò usurpatis, & peregrinis animalibus.

1. IN naturæ carnium disquisitione, quæ in cibatum raro apud nos adhibentur, ferè aliorum authoritate, sæpiùs experientia uti cogimur. *Galenus* plerarumque vires non explicuit, quòd barbaræ tantum gentes eis pro cibis utuntur.

Equinam, præsertim cum senuerit, Medici stomacho *Equina.*

macho gravem, vitiosi succi, & concoctu pervicacem esse statuunt. Sed *Crimenses* qui ea fermè victitant, posthabitâ bovinâ & aliis pleri/que carnibus, valentem, & saluberrimum cibum esse contendunt. Accepi à nonnullis, qui in obsidione urbis eâ vesci fuerant coacti, cibos fuisse non ingratos, sed credendum famem eis gratiam conciliasse. Certè sylvestres, ubi suppetunt, domesticis sunt longe præferendi, cujus generis multi in *Poloniæ* confiniis visuntur.

Asinina & Camelina. 2. *Asinina, & Camelina* gustui dicuntur insuaves, succi pravi & coctionis adeò difficilis; ut *Galenus* homines tantum animi compotes asininos & *Camelinos* eis vesci affirmet. *Bajuli Alexandrini asinina* victitant, eàdemque *Sinenses* delectantur; ut *Arabes*, multique *Afri camelina*. meliùs his sapiunt *Onagri*. *Dum tener est onager, solâque Lalisio matre Pascitur*, (inquit poeta) sapore præstat. Pullos etiam asinarum epulari olim *Mæcenas* instituit, multùm eo tempore prælatos onagris. Sed post eum interiit Saporis autoritas. *Plin lib.* 28. *cap.* 17. ait; Carnes asininas ex jure sumptas phthisicis mederi; sed isti sententiæ nequeo subscribere; nisi ratio clariùs elucesceret. Animal est regno *Congi* familiare (nescio an peculiare) & nisi quòd fæcundum, et pelle eleganter striata sit, omnia mulo simile: quod credo *Asinini* generis esse.

Elephantina. 3. *Afros* in multis regionibus carnes *Elephantorum* agrestium delectant, quæ tamen crassæ, frigidæ et siccæ sunt, mali succi et difficilis concoctionis. *Ælianus* affirmat Ex tantâ *Elephanti* mole nihil esse esculentum præter promuscidem labra, et cornuum medullam. Alii scribunt

Æthio-

Æthiopas posteriores etiam partes comedere. Carnes Elephanti comestæ, ex *Rhasis* sententiâ, tussi utcunque veteri auxiliantur.

4. *Accolæ* sinûs *Gangetici Rhinocerote*, quoties queunt, vescuntur: cujus carnes perhibentur esse suavissimæ: imo eis, & omnibus aliis belluæ partibus, inest vis *Theriacalis*, (inquit *Huginus*) prædicatum *Alexeterium* est *Monocerotis cornu*, quod contra venena, *Epilepsiam*, aliosque affectus mira præstare *Græci* recentiores, de *Onagro* quodam *Indico* intelligentes, produnt. Sed ambigitur, an alius sit *Monoceros*, terrestris, quàm *Rhinoceros*. Accepimus à nautis; navem in cursu à piscis valido cornu instructi arietatione perforatam. & certè talia cornua in litore Oceani inventa sunt, & incautis, pro *Alexipharmacô* obtrusa. *Gesnerus* sanè medicos, qui à *Rhinocerote* potius, quàm ab unicorne incerto petunt remedia, non reprehendit: nisi alterius existentia potuerit probari. *Rhinocerotis car.*

5. Ubi frequens *Ursorum* venatio est, ab eorum carnibus venatores non abhorrent: imo ejsdem admodum delectantur: In *Helvetiâ* igitur & *Rhætiâ* delicata palata eas non spernunt: Sed diversum à montanis *ursorum* genus est, quod glacialis Oceani litoribus piscibus victitat; illorum tamen carnes nautæ, qui *Grœnlandiam* adeunt, satis laudant: alii vero, utcunque nauticis ventriculis conveniant, crassas esse, et virosas asserunt: *Rasis* scribit: *ursinam* frigidam esse, mucosam, concoctu difficilem, & nullo modo laudabilem. traditur autem, pedes anteriores in cibis insigni suavitate delectare, quod forsan verum est: sed minimè ob *Plutarchi* rati- *Ursina.*

 ones

ones, nimirùm quod multùm moventur, & exercentur. *Vrſarum* catulos quidam in cibis probant: ſed certè quamquam ſapore poſſunt placere, humidæ ſunt, & excrementiciæ, nec ſtomacho utiles.

Leonina. 6. *Leonum* & *Pardorum* carnes ſæpius elixas, *Agriophagi* quidam in *Africa*, & alibi edunt, Quas inſuaves eſſe arbitror, ut ſunt pleræque rapacium feræ. *Leonina*, inquit *Albertus*, craſſa calida, & ſicca eſt, ventris tormina ciet, ſed *Paralyticis* comeſta prodeſt.

Lupina. 7. Fames ſi *Lupinam* ad menſas accerſeret ferendum eſſet: ſed petulantia ſine neceſſitate id fecit; at non ſemper impunè. Narrat enim quidam, (ni fallor) *Fernelius* quoſdam, qui lupi venatione capti carnes comedebant, omnes inſanos periiſſe: mihi videntur inſaniviſſe, cum primum eas guſtabant: & ſuſpicor lupum fuiſſe rabioſum.

Lupina, inquit *Raſis*, frigida, fœtida, ſicca eſt & craſſa, melancholiam gignit, & phantaſiam turbat. Unde *Lycanthropia* poteſt ortum habere.

Canina & vulpina. 8. *Canes*, *&* *vulpes*, ſunt ſicco temperamento, earumque carnes à *Lupinâ* non admodum diſcrepare cenſeo. Licèt *vulpina* à venatoribus ſubinde, & canina ab *Afris* quibuſdam, & Sinenſibus uſitatè edantur apud quos ſaginati *canes* in macello ſunt venales. Vulpina Sarmatis etiam Vandalis, & *Gallorum* nonnullis olim eſui fuit. Catuli inter noſtros quibuſdam cibo ſunt; at vitioſi ſucci. Eoſdem lactentes adeò puros ad cibum priſci exiſtimabant ut Hoſtiarum vice uterentur. *Plin. lib.* 29. *cap.* 4.

9. *Taxi*

9. *Taxi & Lutræ* carnes venatores etiam nonnunquam edunt: Imo ipse gustavi: sed neutra admodum placuit, quòd altera piscem oluit; sapuit altera hircosum: lutræ jecur comestum contra colicam valere dicitur. *Taxorum* duplex genus *caninum & porcinum.* hujus caro humidior: illius siccior est. *Taxi & Lutræ caro.*

9. Ad carnium *Lutræ* qualitates *fiber* in cibis prope accedere videtur. Ejus verò cauda, & pedes posteriores scitè conditi, teneri, & suaves, anguillas sapore eleganti referunt. Unde oxymoron illud *Plutarchi* Ηδιςα κρεῶν τὰ μὴ κρέα. i.e. suavissimæ sunt carnes, quæ non sunt carnes. Certè hæ partes ita piscem sapiunt: ut jejunia servantibus pro piscibus concedantur. *Gesner. Bellonius* scribit caudam præparatam myrænam gustu referre. *Fibri car.*

10. *Hystricis* etiam, & *Ericii* carnes venatoriæ dapes sunt non insalubres: siccâ sunt temperie, & facile distribuuntur: itaque ventriculo gratæ. Renibus, vesicæ, & pulmonibus facultate diuretica prosunt: jecur ejus comestum aut cum aceto mulso potum renum vitiis auxilio est: Item hydropi, convulsionibus, *Elephantiæ* & malè habitis: fluxiones exiccat. *Hystricis & Ericii.*

11. *Feles* ab agyrtis, errones *Ægyptios* mentitis, & interdum ab aliis eduntur. Carnes siccas & frigidas habent; at sapore, (ut, qui gustârunt, ajunt) non injucundo. A cerebro autem abstinendum; est enim venenosum: cum è contra cuniculi cerebrum venenis resistat. *Felium carnes.*

Eadem ferè est ratio *Ictidos, viverræ* & aliarum prædatricium.

Mustellina Mexicanis dicitur cibo esse. Ea (inquit *Mustellina.*

quit *Galenus*) inveterata & ſiccata leporinæ ſimilis eſt. Sed quorſùm, niſi in rem medicam hujuſmodi carnes exiccarentur, non video. Muſtelinam in cibo ſumptam capite & pedibus abjectis contra ſtrumas, & morbum comitialem prodeſſe tradunt *Avicenna*, aliique medici.

Simiarum Car. 12. Inter alios *agriophagos*, quos habet *Africa*, ſunt, qui *Simiis* victitant; quarum multa ſunt genera. Caro earum frigida eſt, & humorem malum procreat. *Raſis.*

Cor tamen *Simiæ*, (inquit idem) aſſum audaciam auget, intellectum acuit, & contra *Epilepſiam* valet.

Sciuri. 13. Nonnulli *Sciurorum* carnes edunt: ſed animi gratiâ, non cibi elegantiâ inducti. *Bruerinus* eos alimentum aridum & atribiliarium præſtare exiſtimat. Credo equidem cibum aridum excremento vacare, & ſalubrem eſſe.

14. *Glires* olim *Italis* in ganeam aſſervatos innuit *Varro*, qui *Glirarium* deſcripſit. Et in eis tandem eò exuberavit luxus, ut lege cenſoriâ cœnis interdicerentur. Hyeme ſomno diuturno pingueſcunt; aliàs doliis ſaginantur. Carnes eorum in cibis humidæ & ſuaves guſtui placent, pneumonicis & empyicis comeſtæ auxiliantur, in cibo ſumpti contra *Boulimon* proſunt. *Mathiolus in Dioſcoridem*. Non planè iidem atque iſti, ſed affines ſunt *mures avellani*.

Glirium. & muris Avellan.

Marmotæ car. 15. Excelſa *Alpium* juga habitat animal ad gliris ſpeciem & naturam quàm proximè accedens, (nam hyemem totam edormit) ſed magnitudine cuniculos æquans, *Plinio* dictum *Mus Alpinus*, Græcis quibuſdam μυωξὸς ſed indigenis hoc tempore *Marmota*: hoc animal ceu porcum jugulant ſanguinem in vaſis excipientes, dein a-

quâ

quâ ferventi depilant, depilem aut aſſant, aut inveteratum fumo indurant, inſtar lardi cum olere coquendum. Carnes ejus recentes ſunt concoctu difficiles, ſtomachum gravant & Corpus calfaciunt. *Mathiolus*. Puerperis tamen contra ventris torſiones commendantur.

16. *Porculus Guinienſis, aut Indicus* carnes habet carne cuniculi minùs candidas, & humidiores, in cibo ſuaves, & pingues, ſubflavo adipe, lardo ſuum ferè ſimili: is comeſtus marmotæ carnium qualitates imitatur. *Porcell. Indici car.*

17. *Cricetus* eſt animal quibuſdam *Germaniæ* & *Sarmatiæ* locis ſatis notum. *Thuringia* eis abundat. *Germanis* dicitur *ein Hamſter*, nonnullis Græcè Αρκτόμυς, *Anglice* dicas *à bearmouſe*. Eſt muri *Alpino* magnitudine & figurâ ferè ſimilis: quem etiam ſopore hyemali, & domicilio ſubterraneo imitatur. Animal eſt iracundum & audax. Carnes ejus *Geſnerus* negat in cibis placere. Sed ille eos, ut ipſe fatetur, non viderat. Alii qui meliùs norunt, dicunt, à multis pro deliciis haberi, ſed ſuccum minime bonum præſtare. *Sebiz.* *Cricetus car.*

18. *Mures Judæis* lege divinâ *Levit.* 11. 25. erant prohibiti: ſed ab apoſtatis & Idololatris in cibum denuò recepti: unde comminatio iſta in *cap. ult. Prophetæ Iſaiæ.* *Murium car.* *Soricis & Mygales.*

Rhaſis ſcribit quòd muris caro ſit calida, mollis & nonnihil pinguis, & quòd bilem atram expellat: ſed (inquit *Geſner.*) ejus rationem non video. Muribus minoribus elixis & in cibo datis involuntaria puerorum mictio cohibetur, *Schroder.*

Sorex & Mygale his affines ſunt: ſed adeò

plerisque perosæ; ut nemini in cibum admittantur, cui aliud quod edi potest, suppetit.

Vespertilionum carnes. 19. *Vespertiliónes* inter quadrupedes & aves ambigunt, sed bestiis propiores, ut, vivipari: & qui pennis careant. Hi etiam *Judæis* erant vetiti; sed ab aliis gentibus in cibum recepti. Insulis enim *Americanis*, et in quibusdam *Africæ* locis ubi columbis, imo *Gallinis* pares visuntur, ab indigenis eduntur sapore Gallinæ.

Armadilla. 20. Quasdam *Americæ* regiones natura beavit animali parvo quidem, sed instar *Rhinocerotis* firmiter loricato; à quâ armaturâ *Hispani Armadillam* dixerunt: sed indigenæ *Tatou*. Hoc animal terram subit, et more *Marmotæ* aut *Criceti* aliquot menses latet, aliâ de càusa, quàm frigoris, quod illic nullum est.

Caro ejus candida est, pinguis, tenera, et perjucunda. Itaque assà, elixa, aut furno, aliasve cocta placet. *Hist. nat. Antill.* Laminæ loricæ in pulverem redactæ ad Drachmæ pondus sumptum sudorem commodè movet, et idem sæpiùs exhibitum contra luem veneream egregium est remedium. *Ximenes.*

Acontii. 21. Est aliud animal, *Baptistæ Tertreo*, *Acontii* aliis *cuniculus Indicus*. Sed mihi, ad Cricetorum genus, propiùs videtur accedere moribus, et forma; dicitur enim cicur pedibus posterioribus erectus incedere, prioribus vice manuum cibum ori admovere: animal item esse iracundum et vehemens; quæ omnia *Criceto* conveniunt.

Carne est durâ nec bene olente: itaque ferè negligitur.

22. Meminit Author modo laudatus Animalis,

lis Insulæ *Grenadæ* indigenis nominati *Manitoü*, aliis *Cariguea*, *Maritacaca* aut *Opossson*, pro linguarum diversitate: quod mihi aliquando videre contigit: est capite ferè vulpino, colore & magnitudine melis, (si rectè memini) caudà corpore multò longiore, adeoque forti, ut ab eá ramo circumductâ dependeat. Carnes ejus fætidè olent; itaque in cibos vix admittuntur. *Opossson.*

Plurima animalia *Americæ* regiones, præsertim *Brasilia*, nostro orbi incognita suppeditant: quorum in cibis usum petas è *Georgio Margravio aut Ximene*.

CAP. V.

De sanguine & pinguedine.

De sanguinis crudi esu.

1. VT Caro musculosa plerisque; ita *Sanguis* animalium nonnullis, cibo est: Lex Divina ei parci jussit; quod sit animæ vehiculum. Sed *Barbaries* quosdam eò vecordiæ perduxit: ut animam ipsam, si possent, ingererent: fuerunt enim, & forsan adhuc sunt è *Barbaris Americanis* quibus nil perinde dulce est, ac sanguinis hostilis adhuc calentis haustu vindictæ sitim explere. Proximè ad hos Barbaros accedebant *Romani*; qui gladiatorum in arenâ expirantium *Sang: crudus.*

 rantium

rantium crudum sanguinem hauserunt, remedium adversus epilepsiam inde sperantes: qui cum medicis, qui id præscripserunt, omnem humanitatem exuisse videntur. Nec reverà remedium est, sed sæpenumerò deleterium: in ventriculo enim facilè corrumpitur, & corruptus periculosa inducit Symptomata.

Nequeo igitur satis mirari medicos * *Arabas*; & *Christianos* tale remedium comprobasse.

* *Avicen: & Marsil. Ficinum &c.*

Bisaltæ, & Scythæ *Sanguine jumentorum* venis deprompto, & lacti equino misto sitim & famem in bello sedasse feruntur: potuitque id edulium ventriculis eorum, carni semicrudæ diu assuetis, convenire.

Sanguis taurinus

At *sanguis taurinus* lethalis est, *Themistoclis* morte infamis: tamen parum lædit nisi recens bibatur; & nè tum quidem, si fibras eximas in quibus solis causa condensationis est.

E contra *sanguis Anatum*, *anserum*, *Hœdi*, *testudinis marinæ* antidotis miscetur; unde quædam formulæ veteres *Dihæmaton* inscriptæ. Et in hoc usu A*natum Ponticarum* primas olim tulit, eratque *Mithridatis* regis inventum.

A*nseris* sanguis calens contra leporis marini venenum bibitur. *Dioscorides.*

Anatis Sang:

A*natis sanguis* ex oleo potus, à potu deleterii servat, et à viperæ morsu liberat. *Galen Euporist.* 2. 182. Calidus, si bibatur, vel siccus in vino generoso ab omni veneno liberat. *Kiranides.*

Sang: Hircinus.

Sanguis Hircinus in carbone decoctus alvum sistit. P*lin.* A testiculis exectis exceptus, et assumptus drachmæ pondere sopit pleuritidem, & sanat. *Helmontius: de sexta digestione alimenti Humani.*

Sangui-

2. Sanguinem in cibos coctione formare non novum est. *Jus nigrum Spartanorum* adeò celebratum αἱματίαν fuisse testatur *Jul. Pollux lib.* 6. *Onomastic.* & constat, *Hyposphagma* celebre edulium è sanguine, melle, Caseo, Aceto, pipere &c. olim confectum fuisse. *Caryce* cibus erat è sanguine paratus apud Lydos celebris: nostris *suillus* in re cibaria sanguis alio quovis frequentiùs adhibetur: *Hœdinus* etiam, *Ovinus* & *Leporinus*, *olorum quoque & Anserum*, quibusdam in farciminum, & apexabonum confectione & embammatis usurpatur. Omnimodus sanguis aliquatenùs calidus est, coctionis difficilis, & crassi succi, & utcunque paratus, valido opus est ventriculo, ut ritè conficiatur. **Sanguis animalum coctus qualis cibus.**

3. Animalibus sanguine calido, & sulphureo præditis, tantum modo sana sint, & copia dulcis alimenti iis suppetat, quædam corporis partes multo *adipe* vestiuntur. In genere cornigero *sevum* dicitur, & constat partibus magis terrenis; in utrinque dentatis *pinguedo* est, seu *axungia*, quæ in pennatis humidior est, & in quibusdam animalibus marinis planè oleosa. Omnis pinguedo calidæ & humidæ naturæ est, & pro ratione animalis, unde sumitur, differt. At *Celsus lib.* 2. *cap.* 18. ait: eadem omnia pinguia, quàm macra plus alimenti habere. Adeps pauci nutrimenti est, & potiùs carnium esculentarum condimentum, quam alimentum, inquit *Gal. lib.* 3. *de aliment. fac. cap.* 11. Omnia merè pinguia frequentiùs aut majori copiâ, quàm, par est, assumpta ventriculi eutoniæ adversantur, nauseam faciunt, & appetitum evertunt. *Galen. eodem lib. c.* 27. Calidis & siccis temperamentis non conveniunt, nam in bilem **Pinguedo, sevum & medulla.** **Sevum.** **Pinguedo.**

bilem facilè vertuntur, & nidores ingratos excitant.

Medulla. *Medulla* est ossium pinguedo, ut adeps est musculorum. Constat materiâ Sulphureâ, & terrestri (sed puriori quàm quæ adipem constituit) per arterias vix conspicuas in ossa delata gustu suavior est, quàm aliud pingue, & ventriculi tonum non perinde lædit: in animalium juventa rubet, in senectute albescit. *Vituli aut Bovis medulla* cum farinâ & cerâ coctâ, & exiguo oleo, ut sorberi possit, cœliacis, & dysentericis prodest.

Medullæ animalium vim habent dura & scirrhosa molliendi. Et in hoc genere, præstat *cervina*, *dein vitulina*, *exin Hircina*, *caprina*, & *ovilla*.

CAP.

CAP. VI.

De Lacte, & Lactariis.

1. BOvinum genus præ aliis animalibus hominis beneficio natum videtur, nam præter carnes, et operam in agriculturâ, tantâ *lactis* ubertate affluit, ut non modò parvuli ferè omnes eo alantur, sed etiam lactariis inde confectis magna pars adultiorum victitent. De proximâ lactis materiâ inter physicos non satis convenit: alii sanguinem, à trunco venæ axillaris per venas mammarias ad mammarum glandulas delatum, eam constituunt: sed huic sententiæ sanguinis circulatio repugnat. Quare id munus rectiùs arteriis tribuitur, quarum est foras è meditullio convehere sanguinem, et chylum ad partes. *Prosper Martianus ex Hippocrate*. Alii chylum solam lactis materiam statuunt, eumque à lacteis rectà ad mammarias deferri existimant: sed nullum ductûs lactiferi ad mammarias pertendentis vestigium anatomicis adhuc apparuit, quod sciam; itaque verisimilius est, eum nullo compendio, sed regiâ viâ à ductu chylifero in subclavias infusum cum sanguine per cordis ventriculos, et inde per arterias thoracias in glandulas mammarias deferri; item in illis secerni, et elaborari. *Lactis materia.*

Porrò sunt, quibus non sine ratione videtur demensum quoddam liquoris nervei lactantium mammis, per nervos thoracicos, quorum surculi aliquot illic desinunt, perpetim affundi; cujus so-

lius

lius ope lac adeò dulceſcit, & fit verè nutricium in corporibus autem cacochymicis & morboſis, quibus iſti humores vitiantur, lac fit inutile, & vitioſum.

Partes. Lactis *partes* ſunt tres, ſulphurea ſeu *butyrum*, terreſtris i. e. *caſeoſa*, & *ſeroſa*, quæ aquea eſt cum ſalis aliquanto admiſto. Sed non in omnium animalium lacte eadem eſt harum partium ratio: illud verò ſecundùm animalium ſpecies multum differt.

Bubulum. *Bubulum lac* maximè nobis eſt in uſu cibario, craſſum eſt, & pingue, eique plus materiæ *butyraceæ* ineſt quâm aliorum animalium lacti; quocirca etiam magis nutrit, & corporibus humanis optime convenit: ei non abſimile eſt *Lac bubalinum*.

Bubalinū.

Ovillum. *Ovillum* terreſtrium, ſeu *caſeoſæ* ſubſtantiæ plus continet.

Caprinū. *Lac caprinum* medio modo ſe habet, & corporibus noſtris medium præſtat effectum.

Lac animalium utrinque dentatorū. Caſeoſi parum ineſt animalium utrinque dentatorum lacti; vix igitur coit. *Plinius lib.* 8. *cap.* 41. ſcripſit tenuiſſimum & maximè ſeroſum eſſe *Camelinum*, ſuave tamen; proximè ad illud accedere *equinum*. Quo ſanguini congeneri admiſto in potum utuntur Scythæ; ut teſtatur *Hippocrates lib. de aere, aquis, & locis*. Craſſiſſimum eſſe *Aſininum*, Sed huic *Plinii* ſententiæ medici penè omnes refragantur; qui id, poſt humanum, omnium tenuiſſimum ſtatuunt.

Camelinū. *Equinum.* *Aſininum.*

Lactis uſus. 2. Lac alimentum optimum præſertim nondùm adultis ſuæ ſpeciei, ſi in ventriculo recte coquatur, præſtat: eſt enim temperatæ, & humidæ naturæ, aut ſanguine noſtro paulò frigidius;

us; Inde *Hecticis*, & phthisicis à medicis commendatur, sed imprimis *Asininum* & recens emulctum, quod melius fore *Helmontius* putat si *asina*, quotidie sit pexa; credo, quòd poris strigili patefactis fuligines, quæ lac possunt inficere, liberiùs exeant: quas *Sanctorii* experimentis plures esse constat quàm aliàs credas. Os lacte colluere anginosis prodest, & bibitum lithiasi laborantibus auxiliari putatur. Item si *bubulum* sit, eis qui corrosiva pharmaca vorarunt convenit: si ferrum in eo sit extinctum, diarrhœæ et dysenteriæ nonnunquam medetur. *Arthritidis* paroxysmos lenit.

Lac autem non omnibus perinde convenit, in calidis enim & *biliosis* temperamentis fit nidorosum, ideoque febrientibus & capite dolentibus malum est: ventriculis verò frigidis, & eis quibus aliquid acidi liquoris priùs insit, aut lacte recens hausto incautè ingeratur, sæpe acescens coagulatur; unde mortis periculum, aut ipsa mors aliquando sequitur. Inde tutius est quod maximè serosum, & casei ferè expers, quale est *Asininum*: sed huic incommodo occurritur, saccharo, melle aquâ vel sale lacti admisto, quæ *caseosæ* materiæ coitionem impediunt: splenticis & hepaticis non convenit. Porrò *lac* & *lactaria* pabuli qualitates participando subinde nocent. Sic caprillum, si capræ herbis vescuntur catharticis, putà gratiolâ, tithymalo, aut scammonea, in Syria alvum vehementer purgat.

De Lactariorum proprietatibus.

3. Lactaria edulia sunt imprimis partes lactis arte ità separatæ ut seorsim, edi possint, aut bibi.

Butyrum.

Pinguior lactis portio priùs disseminata, quiete, quia levissima, in ejus superficie colligitur, & flos

flos lactis dicitur: multâ hujus agitatione, dum partes Sulphureæ relictis serosis se invicem prehendunt, fit *butyrum* quod nostratibus, præsertim junioribus, usitato cibo est: & alimentum præstat optimum, præcipuè si cum pane edatur: olei naturam refert, ejusque vicem in condimentis præstat; fauces, asperamque arteriam magis lenit quàm oleum; quod, nisi planè recens sit & optimum, eas asperat. *Butyrum* intestina contra corrosivorum malitiam munit: at nimius ejus usus bilem ciet; & ventriculi tonum laxat. Saccharo, aut sale injecto in cremorem nullâ arte aut labore confit *butyrum*.

Lac ebutyratum à *butyri* confectione relictum multum *caseosæ* materiæ continet, & est frigidum: æstuantibus igitur stomachis moderatè sumptum aliquando prodest.

Flos lactis. 4. *Flos lactis*, seu cremor recens palatis delicatulis, æstate fervente, ferculum licèt rusticum, et facile parabile, maximè arridet; ritè concoctum valde alit. Sed ob pinguedinem, ventriculo nimia quantitas aut frequentior usus vix convenit: nam tonum ejus, etsi minùs *butyro*, nimiùm relaxat. Minùs lædit, qui à lacte decocto desumitur. Morem *Belgarum*, aliorumve, qui eum, aut *Butyrum* à secundis mensis copiosè ingerunt, probare nequeo: nam cibis innatat, et stomachi constrictionem impedit.

Lac schiston. 5. *Lac schiston*, aut scissile est, à quo serosa portio secernitur: quod variis modis perficitur, sed usitatius coagulo injecto, aut acido liquore. *Dioscorides lib.* 2. *cap.* 62. ut lac ramo ficulno agitetur, inspersis, postquam bis aut ter efferbuerit, tot oxymelitis cyathis, quot sunt lactis heminæ:

minæ: lac coagulatur facilè, quod ſtatim à partu emulctum ad ignem parumper calefit: *Coloſtra*, apud veteres in deliciis fuiſſe innuit *Martialis* diſtichon.

Surripuit paſtor, quæ nondum ſtantibus hædis,
De primo matrum lacte coloſtra damus.

Comeſta tardè concoquuntur, non facilè deſcendunt, ſuccum craſſum pariunt. *Avicen. lib.* 2. *cant. tract.* 2. *cap.* 442. pueri quibus lac in ventre coagulatur *Coloſtrati* dicuntur, & morbus *Coloſtratio*. *Lac coagulatum*, inquit *Galenus*, *copioſè nutrit*: ex eo *Caſeus*.

6. Lacti cum integro, tum pinguedine ſuâ privato ſi aliquantum coaguli injicias, præcipitantur illico *caſeoſæ* partes, quæ formis preſſæ fiunt caſeus: qui adhuc recens frigidus eſt, & humidus; ſed ætate calidus & ſiccus evadit: non facilè coquitur: alimentum craſſum præbet, quod tanto eſt deterius, quanto caſeus ſit vetuſtior. *De caſeo.*

Peſſimæ notæ, minimique nutrimenti is eſt, qui fit è lacte, cui omnis *butyracea* materia prius ſubſtracta fuit. Nam *caſeoſa* ſubſtantia molem; ſed *butyracea* ſola bonitatem iſti cibo conciliat. Pro ratione animalium differt caſeus. Nonnulli *Ovillum* facilitate, & ſubſtantiæ tenuitate præſtare arbitrantur; *bovillum* nutritione; caprinum verò infra omnes putant. *Plinius Hippaces*, id eſt, equini meminit, ſed certe id lactis caſeum parciùs præbet; eſt enim valde tenue. Multi hunc cibum averſantur cujus idioſyncraſiæ rationem reddere non eſt facilius, quàm cur Gallinæ malunt fame perire, quàm phaſeolos edere. Primas inter *Britanniæ* caſeos *Ceſtrienſis*, inter peregrinos *Parmenſis* tenet.

7. *Serum* poſt caſei coagulationem relictum nonnihil ſalis continet: vix cibum dicas non enim alit, *Serum lactis.*

niſi

nisi diu ei assuescas: serosos & adustos humores purgat, præsertim magnâ copia quotidie sumptum, ad tres, quatuor ve libras, cum herbis idoneis incoctis si libet; multæ apud veteres lactis acidi præparandi rationes fuerunt: alii enim alia incoxerunt: hi lac acidum in recens addiderunt; nonnulli in vasis acore aliquo imbutis quiescere, donec acesceret, sinebant, & melcen vocabant: cujus σκευασίαν habet *Constantinus Cæsar in Geoponicon lib.* 18. *Paul. Æginetà* ejus meminit *li.* 3°. *c.* 37. Et *Galenus* qui vocem Latinam esse credidit; sed totâ viâ erravit: vox enim *Germana* erat: unde usum ejus didicerant *Romani*, ut nomen indicat.

Oxygala. Nonnullis gentibus *oxygala* multo in usu est, & imprimis nostris *Hybernis*, qui lactariis abundant; eorum idiomate *Bony claper* dicitur: *Quibus prodest.* calidioribus ventriculis; & *biliosis* in ætate prodest; & talibus *Galenus li.* 7°. *methodi medendi* concedit: & *Ægineta* cibum fastidientibus loco citato commendat. Laudatissimum *oxygala Nomades Scytharum hippomolgi* dicuntur conficere.

8. Non prætermittendum *Zythogala*, quod *An-* *Zythogala.* *gli* jamdudum usu ceperunt, quibus dicitur *possetum*: *Quomodo fit.* Et fit, cervisiam, vinum, aliudve acidum lacti efferventi affundendo: Inde enim partes lactis terrestres & sulphureæ se mutuò prehendunt, & coagulantur; aquosæ verò cum salinis funduntur. Serum ita factum febrientibus exhibent: quem usum *Forestus li.* 16. *ob-* *Ejus facultates.* *ser.* non rectè improbat. Non enim ori, aut stomacho est ingratum & vasis intromissum sale suo meatus referans, sanguinis æstuantis impuritates blandè foras educit: diureticum est, et lene diaphoreticum.

Huic etiam liquori pro diversis medendi scopis varia incoquunt, quæ feliciter ægris propinant.

COM-



COMMENTARII
De volucrum carnibus esculentis.

CAP. I.

1. CIbatum valentiorem ferè præbent quadrupedes, lautiorem verò & delicatulis palatis potiùs expetitum exhibet volucre genus. Nonnulla igitur Alituum genera domestica alimus, mensarum tantùm usui dicata, dapes inemptas et facile paratas: alia aucupio tantùm ad manus veniunt.

Gallinæ cicures saporis elegantiâ paucis volucribus cederent, imo forsan phasianis et perdicibus palmam præriperent; nisi copia, quâ optima quæque sordent, obstaret. Pluris fuisse, quam nunc videntur; cùm contra Luxuriam improbam lege sumptuariâ defendi meruerant. *Fannia* enim unica gallina Senatoriæ cœnæ permissa est. *Gallinæ.*

Carnes earum temperatæ sunt, et facillimè concoquuntur; non excrementosæ, sed eximii succi. *Earum carnes.*

Unde ſanguinem adeo laudabilem procreant: ut ſint, qui frequenti earum eſu præſertim pullorum & caponum ingenii acumen, ampliorem ſpirituum copiam, & ſeminis ubertatem ſperent. In hoc genere *Caponum* carnes maxime temperatæ ſunt: *Gallinæ* ſicciores, & *Galli* ſiccæ & duriores. Jus *Galli decrepiti* abſterget, aperit, alvumque movet.

Robuſti, & quotidiano labore exercitati alimentum carne gallinaceâ firmius poſtulant. A morbis verò convaleſcentibus, & emaciatis, ea præſertim, quæ è pullis eſt, optime convenit.

Gallinacei generis diverſitas. Magna eſt domeſticarum diverſitas, quæ à regionibus, unde oriundæ ſunt, ferè naſcitur.

Sunt pugnaces. Præter vulgares, genus eſt pugnax, generoſæ indolis, è quibus gallos ad pugnæ ſpectaculum tollimus, eoſque adeo magnanimos, ut antagoniſtæ victori nunquam vivi cedant. *Nanæ* quoque apud nos inveniuntur.

Patavinæ. Turcicæ. Criſpæ. Perſicæ. *Patavinæ* alias ſtatura & mole excellunt, & *Turcicæ* plumarum varietate & elegantiâ. *Friſiæ* dictæ *criſpæ* ſunt; & *Perſicis* cauda & uropygium deſunt.

Quæ oſſa nigra habent. In quibuſdam *Indiæ* tractibus carnes & oſſa gallinarum nigreſcunt, tamen ſuaviſſimæ ſunt.

Lanigeræ. *China* fertur lanigeras habere, quibus lana eſt *Ovillæ* ſimilis. *Athanaſ. Kircherus in China illuſtrata.*

Virtutes medicinales. Caro gallinacea vocis claritatem efficit. *Avicenna.* Medici nonnulli tradunt: gallorum juvenum teſtes *Hecticis*, & maraſmo emaciatis prodeſſe. Si Mulier ſtatim à conceptu eos edat, mares in utero fient. *Plinius.*

Mirum eſt, quibuſdam perſuaſum fuiſſe carnis galli-

gallinaceæ eſu contrahi podagram: forſan ita ſomniatum eſt, quòd locupletes cives, quos ob liberaliorem ejus uſum, noſtrum vulgus *caporum gurgites* joco nominant; eà ſæpe tentantur: quod non ob *Ornithophagiam* accidit: ſed arthritidem ditiorum ignavia, aut intemperantia accerſit, quam pauperies, labor & temperantia, cum cibo euchymo (cujuſmodi ſunt gallinarum carnes) arcent; aut ſi ſit hæreditaria, protelant. *Cur à quibusdam podagram dicuntur parere.*

2. *Aves Africanæ*, nonnullis *Indicæ*, Græcorum *Meleagrides*, aut eis congeneres carnium ſuavitate ſunt caponum æmulæ. Plurimum & laudabile alimentum præſtant: itaque vires promptè reficiunt. Alites hujus generis, eximiæ magnitudinis & præſtantiſſimi ſaporis producunt provinciæ *Americanæ*, *Nova Anglia & Virginia.* *Aves Afræ.*

3. *Pavonum* pulchritudo, eos aliquandiu contra gulam defenderat, aut forſan aliqua religio. *Hortenſius* orator primus cibi gratiâ occidit. *Aufidius Lurco* primus ſaginavit. *Pavones.*

Carnes habent fibroſas, duriuſculas, & non admodum faciles concoctu. Ab eorum eſu nonnulli epilepſiæ remedium ſperârunt: ſed quo ſucceſſu nondum comperi. Jus eorum pleuriticis ſpecificè prodeſſe dicitur. *Carnes eorum.*

CAP. II.

De gallinaceo genere agresti & montano.

Phasiani.

Carnium usus.

1. OB eximiam carnium suavitatem, & salubritatem cum aucupii voluptate, magnates *phasianos perdices & attagenas* suis mensis vendicârunt. Vires egregiè reficiunt: itaque à morbis convalescentibus, & ventriculi imbecillitate laborantibus cibi sunt utilissimi.

Vrogallus major Gesneri.

2. Montes sylvosos, & ericeta vastiora colunt duæ avium agrestium species, quæ phasiani naturam participant, sed colore differunt. Nam mares præter palpebras rubentes & cinereas quasdam maculas interspersas nigricant. Feminas hujus speciei natura elegantiori plumarum varietate vestivit. quod, quia in aliis avibus non usu venit, *Gesnero* ansam dedit putandi, aliam esse speciem non sexûs discrimen. Hoc genus *Hiberniæ* familiare est ubi nominantur, *Cocks of the Wood*. i. e. *Galli Sylvestres*; ut mole phasianos superant, ita carnium suavitate eisdem non cedunt.

Vrogalli minores Gesneri & Aldrovandi.

3. Altera species minor phasianâ ericeta tantùm frequentat, eaque fere montana: in his, maribus supercilia late rubent, sed totum corpus nigricat, at splendore plumarum variabili, ut in collo columbino aliquando cernitur. Feminas plumæ cinereæ rufescentibus interspersæ perdici, aut rusticulæ concolores reddunt. Hanc avem veterum *Attagenem* multi credunt.

Regioni-

Lagopodes noſtris: the white and red game.

4. Regionibus, quæ fere nive albicant, montanis, & borealibus natura feras, & volucres nivi concolores dedit, & inter alias *Lagopodas*. Avis eſt ita dicta ab hirſutis pedibus; quos ei natura videtur indulſiſſe: quòd in frigore intenſo vivendum eſſet: candida tota eſt, præter pennas in caudâ utrinque nigras, in aliis perdicem refert. A quibuſdam igitur Alpinis *perdix candida* nominatur.

Lagopodes albi.

Variegati.

In Alpibus *Rhæticis*, & *Helvetiis* invenitur avis alia perdici ſimilis, & cothurnis plumeis ſimiliter induta; ſed variegata.

Lagopus ruber, *i. e.* the Red game.

In excelſis *Angliæ*, & *Walliæ* montibus naſcuntur volucres, noſtris à plumis rufis appellatæ *the red Game*. Hæ, quia in nive ferè verſantur plumeis etiam crurum, pedumque integumentis muniuntur: raró admodum in planitiem deſcendunt.

Has non alias ab *Italorum francolinis* quidam arbitrantur.

De Attagene veterum.

Quænam harum avium veterum fuit *Attagen* inter *Zoographos* non convenit. Alii id honoris *Francolino* tribuunt, alii alteri *Lagopodum* ſpeciei ſed pleríque *urogallos minores* veras *Attagenas* eſſe credunt. Sin, ut aliqui cenſent, *Attagen* paluſtris erat; neutri harum nomen convenit: ſed ex *Geſneri* ſententiâ, *Godwittæ Anglorum* potiùs debetur: quod ita fiat, ſi iſta *Godwitta* perinde in *Italiâ*, atque in quibuſdam *Angliæ* tractibus ſit frequens, ſed ex *Joniâ* etiam *Romam Attagenes* delatæ ſunt.

Inter ſapores fertur alitum primus
Jonicarum guſtus Attagenarum.

Martialis lib. 13.

Certè tunc temporis in procerum mensis primas tenuit, nec injuria, si præter saporis excellentiam (ut *Galenus* affirmat) succus ex *attagenum* carne laudabilis, neque tenuis neque crassus gignitur. Sed quicquid *Attagen* erat; liquet urogallos, & *Lagopodas* saporis bonitate phasianos superare, & insuper reliquas eorum virtutes æmulari.

Urogalli & lagopodis bonitas.

Perdices.

5. Carnes *Perdicum* sunt facillimæ concoctionis, boni alimenti, excrementi penè nullius, & perquam siccæ. Quæ dotes *Cardano* ansam dederunt asserendi in *lib. 3. de sanitate tuendâ tract.* 19. Quemvis lue venereâ correptum, si solis perdicibus totum annum victitaverit, sine alio remedio convaliturum. Pituitosis temperamentis & frigidis inprimis conveniunt, ventriculum imbecillum corroborant, venerem cient.

Diu comestæ Luem Veneream sanant.

Nostræ perdices columbas magnitudine non multùm superant: sed *Strabo lib.* 15. scribit *Porum Indiæ* regem *Perdicem* vulture majorem dono misisse *Augusto.*

Perdices rubræ, quas *Chios*, aliæque in *Ægæo* insulæ, *Guernsia* quoque & *Cæsarea* in nostro mari alunt, carnium facultate à vulgaribus non discrepant.

Bistardi qui Tetraones & otides dicuntur.

6. Alituum maximus nostratium est *Bistardus* quem Latini *tetraonem* & *tardam*, Græci *Otida*, nonnulli novè, sed non ineptè *Erythrotaona* dixerunt. *Tarda* est hæc avis, adeò ut, a canibus nonnunquam deprehensa sit, antequam ad alas se recipiat: sed & cauta; quocirca Sylvas vitat, planitie, campisque latissimis tantum gaudens. *Plinius lib.* 10. *cap.* 22. scribit *Otidas* in cibis damnatas. Sed aliud suadet experientia.

Carnes

Carnes enim dulces sunt, & salubres. Et *Synesius* nominat hunc alitem Ὄρνεον ἐκτόνως ἡδύ. *Bellonius* etiam in mensis easdem probat. Sed *Galenus lib.* 3. *de aliment. fac.* Otidos carnem inter Gruum & anserum mediam statuit.

7. *Coturnicum* caro habetur calida, humida difficilis coctionis, & mali nutrimenti: unde nimius ejus esus improbatur: nam nonnullos in spasmos & morbos comitiales conjecisse fertur. Idque in Phocide, *Bæotiâ*, & *Doride* accidisse *Galenus* putavit: quòd veratro illic vescerentur. Sed siquid sit istiusmodi incommodi, à pravo, quem præbent, succo oriri credendum. At forsan pravi victûs in istis locis recepti culpa in coturnices rejicitur; certe palato arrident, & stomacho placent. *Coturnices & ortygometra. Coturnix.*

Ortygometra avis est coturnicibus corpore major, sed formâ similis; quibus in migratione ducem se præbere dicitur: in agris genistâ obductis fere versatur: & quibusdam fuisse *Crex Aristotelis* videtur, *Anglis* dicta *a Daker hen*: aliis est *rallus terrestris*. *Ortygometra.*

CAP. III.

Columbæ domesticæ & Liviæ.

1. Columbæ in cibis non faciles concoctu sunt, succum præbent crassum, & excrementosum; hoc de domesticis intellige; quarum magna *Columbæ.*

Liviæ. diverſitas eſt. *Liviæ*, quæ, ſaxis & montibus relictis, durante ſementi in agris cultis victum quærunt, ſicciores ſunt, & melioris ſucci.

Palumbi. *Palumbes* cibi difficiles ſunt, melancholicis prorſus incommodi, animi alacritati, & venereæ libidini obſtant. Unde illud poetæ monitum.

Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

Turtures. *Turturum* caro ſicca eſt, & admodum calida Aucupes *Itali* circa Cremonam abunde *turturum* æſtate capiunt, quos milio impinguant. Nam pingues lauti ſaporis ſunt, hinc *Martialis* in *Xeniis. lem.* 50.

Dum mihi pinguis erit turtur, lactuca valebis:
Et cochleas tibi habe; perdere nolo famem.

Alimentum quoque laudabile, (teſtante *Galeno*) pingues neque tenuius, quàm par eſt, neque craſſius præbent. Sunt quibus, carnes columbini generis in paralyſi & tetano, prodeſſe videntur. Morbos etiam peſtilentiales frequenti earum eſu præcaveri.

CAP. IV.

De Paluſtribus volucribus.

Grus. 1. GRues relictis Pygmæis in *Europam* quotannis tranſvolant, ubi etiam hoſtes inveniunt

unt: à quibus capti in menſas ſaginantur.

Ciconiæ etiam à longinquo veniunt: ſed unde aut quo ſe conferunt, adhuc incompertum eſt: in cibis olim magis *Romæ*, quàm grues placuerunt. Pietas in Parentes celebrata eas aliquandiu à cæde vindicaverat. *Sempronius Ruffus* menſis primus invexiſſe traditur. Sed injuriam piæ volucris populus turpi repulsà ultus eſt, ut verſus iſti teſtantur. ***Ciconia.***

Ciconiarum Ruffus ille conditor,
Quanquam eſt duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem:
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Apud *Theſſalos* ob ſerpentum excidium referentes gratiam, capitale fuit ciconias occidiſſe. Carnes harum volucrum duræ ſunt: & niſi diu ſuſpenſæ ventriculi ſolventi ægrè cedunt: at non parcè nutriunt. Succum melancholicum generant. *Avicen*: itaque noſtro tempore in menſis non perinde, atque olim probantur.

2. *Phœnicopterus* ingens avis eſt, Gallis *un Flammant*, noſtris maritimis ignota. Sed maris mediterranei litore frequens. Nomen ei alæ puniceæ fecerunt: ſed celebritatem *Romana Luxuria*, cui imprimis erat dicatus. Linguam ejus præcipui eſſe ſaporis docuit *Apicius*, nepotum omnium altiſſimus gurges. *Juvenalis* phænicopterum inter lautiores cibos numerat: ſed noſtro ſeculo, forſan lingua vix placeret erudito palato; credo carnes inſtar Gruum nervoſas eſſe duraſque, nec facilis concoctionis; ſed à ventriculo confectas plurimùm nutrire. Secundum *Cor: Celſum*: ***Phœnicopterus.***

ſum: qui tradit, omnem avem grandem valentis materiæ eſſe; & plurimi alimenti.

Ardeæ. 3. Tria *Ardearum* genera deſcripſit *Ariſtoteles lib.* 9. *de hiſt. animalium, Pellam, albam, & aſteriam.* Alii plura faciunt; *Oppianus* innumera eſſe in *Ixeuticis* Hyperbolicè dicit. Credo equidem hanc avem pro regionum diverſitate, coloribus, & magnitudine variare; & avem, quam à roſtro deorſum falcato *Itali Falcinello* nominant, hujus eſſe generis. Diomedeas aves (in Inſulis maris Adriatici Artanes nunc dictas) Servius in 11. *lib. Æneidos,* ἐρωδιὺς dicit. Ερώδιον *Theodorus* Ardeolum vertit, quam rectè neſcio; ad Larorum familiam potiùs pertinere cenſeo.

Earum carnes quales. Ardearum carnes piſcem nimis olent, duræ ſunt, & concoctu difficiles. Sunt autem, inquit *Sebizius de alimentorum fac: lib.* 3. quàm gruum carnes ſapidiores, & teneriores. Alii verò eaſdem, niſi è pullis deſumptas, in bonorum & ſalubriorum ciborum album non admittunt. Quibus hæmorrhoides pulſantes infeſtæ ſunt, à gruibus, & ardeis abſtineant. *Arnold. de Villâ novâ.*

Ruſticulæ majores. 5. *Ruſticula major* (quæ *Ariſtotelis* σκολόπαξ eſt) roſtro longo, & tereti, colore verò ferè perdicis notiſſima eſt: de quo *Martialis.*

Ruſtica ſum perdix, quid refert, ſi ſapor idem?

Minor. *Minor ruſticula* tota paluſtris eſt; nam à ſtagnorum, aut fluminum ripis vix diſcedit, vermiculis, ut altera veſcitur.

Carnes utriuſque ſuaviſſimæ in menſarum deliciis ſunt. Lac augent, & ſemen, unde & venerem proritant: ſed ferè præfertur minor.

Harum

Harum inteſtina meliùs, quam aliarum avium olent & ſapiunt, itaque conciſa ſuis carnibus condimento ſunt.

5. *Godwitta, Gallinula paluſtris*, avis eſt paluſtris, ruſticulà majori paulo grandior; ſed cætera ei ita ſimilis, ut non ſit cujuſvis diſtinguere. In locis uliginoſis degit: ob eximium carnis ſaporem & ſucci, quem præſtat, bonitatem, magnatum palatis adeò arridet, ut triplo pluris quàm gallinago vendatur; proinde quibuſdam *attagen* videtur. *Godwitta: ſive Fedŏ.*

6. Paluſtria loca colit inſigne avis genus, quæ à noſtratibus appellatur *a Knot.* & à Rege Canuto, qui eis imprimis delectatus erat, nomen habuiſſe à *Camdeno* noſtro traditur. In agrum *Lincolnienſem* ſub Hyemem gregatim veniunt, & poſt aliquot menſes inde migrant, carnes ſagina quâdam pingueſcentium ſunt regiis menſis dignæ, teneræ & ſuaves. *Gallinula dicta Anglu a Knot Callidris Bellonii.*

7. In agro etiam *Lincolnienſi* & vicinâ *Croulandia* naſcuntur aves paluſtres *Aldrovando* dictæ pugnaces, quòd ad internecionem ſæpe pugnant. Mares in hoc genere dicti, *Ruffes*, collari plumeo ornantur, ſed adeò vario, ut inter ſexcentos vix duos concolores reperias. Feminæ eo carent, & nominantur *Reeves*, uterque pane, in lacte, macerato ſaginati in menſarum deliciis ſunt. *Ruffa avis pugnax.*

8. *Morinelli* avis aucupium jucundum præbet ſpectaculum. Quippe volucris mimica dum aucupis geſtus exprimit, in retia ridiculè agitur. *Morinellus.*

Avis eſt paluſtris locis proximè dictis familiaris. Morinellus dici creditur quoniam apud

Mori-

Morinos etiam invenitur, aut forſan quòd morio ſtultulum denotat, nomen inde formatum eſt: talem etiam *Doterelle* apud nos ſignificat; utcunque hæc avis viva deſipit, cocta in menſis lautis benè ſapit.

Perdali. i.e. pluviarii. 9. Duplicem *pluvialium* ſpeciem vulgò conſtituunt, *vireſcentem*, & *cineream*; hanc *Aldrovandus*, & plerique ornithologi *Ariſtotelis* pardalum eſſe conjiciunt: illam autem alii ut *Jo: Rajus in ornitholog Willobei.* Fuerunt, qui eas aere ali putàrunt, quòd in pingueſcentium ventriculis nihil inventum eſt. Sed reverà vermiculis victitant: carnes utriuſque de primatu contendunt, alii cineream præferunt: nonnullæ viridem: ſed ambæ menſarum deliciæ ſunt. His congener videtur *vanellus*, nec in cibis contemnendus. Minùs affinis eſt *Aldrovandi* pluvialis major, quæ *Geſneri Glottis* eſt, & vulgò dicitur *Totanus.*

Rhintace avis perſica. *Rhintacen* avem *Perſicam*; (quam *Plutarchus* è *Cteſia* ſcribit, eſſe columbæ parem intus pinguedine refertam, at excrementi expertem, & proinde aere, vel rore ali putatam) quidam *avem Paradiſi* dictam putant, at pluvialem fuiſſe veriſimiliùs conjeceris, cui deſcriptio meliùs convenit. Quin etiam avis *Paradiſi* prædatrix eſt, & avibus minoribus victitans: ut *Bontius* affirmat. *lib. 5. ca. 12. natur. Hiſt. Indiæ orientalis.*

Numenius ſeu arcuata. 10. *Numenius Italicè*, & Latinè à recentioribus à roſtri formâ *arcuata* nominatur. *Gallis* & *Anglis Onomatopœia*, à ſono quem edit, nomen fecit. Illis igitur dicitur *Curlue.* Græcorum κύρυλος, quem *Gaza* carulum vertit, alia avis eſt.

In cibis laudatur hæc avis & à nonnullis Gallinæ

linæ villaticæ præfertur. Eſt verò carne ſiccâ & quàm gallinacea, duriori.

11. *Erythropus, ſeu ralla aquatica* avis eſt tibiarum longitudine, & rubore pedum (ut nomen innuit) ſatis nota, in cibis turdis non poſtponitur: quippe optimè ſapit, & ſaluberrimè nutrit. *Erythropus.*

CAP. V.

De volucribus minoribus.

1. TUrdos veterum Romanorum popina tanti fecit, ut recentiores præ illis, eos neglexiſſe videantur. E triplici eorum genere *Turdus Ariſtotelis* ἰξοϐόρ⊕ noſtra vernacula, *the Miſſel thruſh*, nobiſcum toto anno tantùm manet. Cæteri *Trichus, & Illas* quotannis migrant: hæc poſt autumnum è continenti proxima; illa, (ut ajunt) è *Suecia*, & *Norwegiâ*, quo exactâ hyeme redeunt. *Galenus* carnes turdi cibariis ſuccum laudatiſſimum gignentibus annumerat. Saporis vero bonitatem poetæ celebrant, *Horatius*, & *Martialis*. *Turdus.* *Turdorum 3. genera.*

Nonnulli in morbo comitiali turdorum eſum prodeſſe putant, quòd viſcus, quo victitant, eſt Antepilepticum remedium.

In menſis, *Illas* reliquis cedit, à quibuſdam *trichas* viſcivoris præfertur.

2. *Me-*

Merula. 2. *Merulæ* turdis videntur cognatæ; sed non eandem carnium excellentiam assequuntur: in cibis tamen boni succi numerantur a *Salernitanis*: & à *Marcello Empirico* torminosis comestæ prodesse traduntur: genus merularum vulgare nigrum est rostro croceo; sed & albas vidimus.

Sturnus. 3. *Sturnus* avis nota, hyeme gregalis. Carnes earum calidæ & siccæ, ab *Anglis* ob amaritudinem rejiciuntur. *Italis* autem cibo sunt, & meritò, si, (ut *Kiranides* tradit) venenis resistunt.

Coccothraustes. 4. *Coccothraustes* avicula est, quæ hyeme aliquando cernitur: nomen habet, quod fructuum ossicula rostro valeat frangere: unde *Germanicè* dicitur: *ein steenbisser*, *a stonebiter*, in cibum venit. Et à *D. D. Charleton* calculosis dicitur prodesse.

Cuculus. 5. *Cuculi* pullus nonnullis cibo est. Rusticorum tantum ferculum, (inquit *Sebizius*) nec palato admodum placet. Delicatulos tamen quosdam novimus ejus sapore delectatos. Imò *Aristoteles* ejus è nido (qui alienus est) sumpti saporem laudat: Et *Plinius* scribit: nullam avem suavitate carnis ei comparandam, sed postquam suo arbitrio vivit, saporem mutat.

Alauda. 6. Nulla minorum avium in mensis frequentior est, quàm *alauda*, aut melior: nam succum generat optimum, & facilè concoquitur. Speciem, quæ *galerita* dicitur, à colicâ ingruenti præservare & præsentem sanare ferunt.

Ficedula. 7. *Ficedulis* nostra insula non careret, si ficus, quibus vescerentur, suppeterent. Eandem enim speciem, μελαγκόρυφον, habemus: hæ in *Italiâ* ficubus, aut uvis saginatæ *beccafigos* dicuntur, &

in menſarum lautitiis primas tenent: viſum hebeſcentem acuere putantur. A noſtris appellantur, *Aves Cypriæ*, credo quod *Cyprus* eis abundet, unde in *Europam* muriâ conditæ olim advectæ ſunt.

8. *Hortulana* avis eſt magnitudine *Alaudæ*, roſtro & cruribus rubeſcentibus; in viciniâ *Bononiæ* (ut aiunt) ſatis frequens. Carnes ejus menſarum deliciis annumerantur; Calidæ ſunt, ſemen augent, & catamenia movent. **Hortulana.**

9. *Oenanthe* avicula eſt meticuloſa; quæ nubeculæ ſupervolantis umbrá territa, ſubinde in cuniculos ſe recipit; ubi laqueis ab aucupe ſuſpenſis excipitur. In *Suſſexia*, ubi frequens eſt, nominatur, *a Wheat ear*, alibi à *Horſmech*, Italis *Culobianco*, circa calendas *Julii* pingueſcit, & ſapore ficedulæ vix cedit. **Oenanthe.**

10. *Hirundines murariæ, & ripariæ* epilepticis in cibis ſumptæ auxiliari creduntur. *Ripariæ* & *murariæ* pingueſcunt, & commodi ſaporis ſunt, itaque divitum menſis apponuntur: alia genera amareſcunt. **Hirundo.**

Paſſerum eſus venerem excitat, & *troglodytarum* ſtranguriæ mederi, & calculos expellere fertur. *Troglodytæ* vulgò ſed malè *reguli* appellantur. *Tyrannus*, aut *regulus Ariſtotelis* alia eſt avis proximè dicenda. **Paſſer. Troglodytæ.**

11. Avium omnium in *Europâ* minima eſt ea, quæ, quia in vertice maculam croceam aureæ coronæ inſtar geſtat, ab *Ariſtotele* βασιλεύς, & Τύραννος dicitur, unicam tantùm drachmam pendit. *America* tamen minorem *Tomineum* appellatam profert: quæ comeſta epilepſiæ medetur. **Trochilus. Tomineus.**

12. *Luſci-*

Luscinia. 12. *Lusciniæ* caro improbatur, *Heliogabalus* tamen à *Spartiano* fertur Lusciniarum linguis, ut & Pavonum vesci solitus, quod istis cibis utentes Epilepsiam non sentiunt.

Upupa. 13. *Upupæ* plumæ sunt pulchræ; sed mores fœdi, & carnes insuaves: eadem tamen in cibis sumpta colicos dolores mitigare dicitur. *Avicenna. fen. ib. tract. 4. cap. 11.*

Erithacus. 14. *Erithacos* (ut ajunt) una arbor duos non capit, præ contentiosâ naturâ, unde avi nomen hyemale: quod cum formâ æstate mutat, & dicitur φοινίκουρος (*a redstert*) sed pace *Aristotelis* & aliorum, qui hoc tradunt, *Erithacus* etiam æstate formam servat; nec fit φοινίκουρος. Si hæc avis sit *Hesychii* Ῥόβιλα, nomen *Anglicum* non multùm abludit: nam eam dicimus. *a Robin*, addito epitheto, *Redbrest*. i.e. pectore rubro in cibis facilis coctionis & boni succi.

Loxia. 15. *Loxia*, aliis *cruciata*, quòd mucrones rostri decussatim transponit. Anglicè *the Crosbill*: nobis rara est: quia ferè desunt abietes, quorum strobilis vescitur. In cibis non est insuavis.

Sunt, qui hanc aluerunt perinde ridiculè ac superstitiosè persuasi, ædes, in quibus servatur, nunquàm conflagrare. *Sebizius* ait hanc avem in cibis minùs probari, quod semine cannabino pinguescat: quam rationem haud probo.

Lanius. 16. *Lanius* avis, *the Bucher bird*, Italis *regostolo falconeiro*, quod accipitris instar aviculas rapit & raptas occidit: triplex ejus genus est: primum *Anglis* dicitur: A *Shrake*, avis insolens, at nonnunquam hyeme visa, magnitudine sturnum æquat. Secundum passeri par est, naturâ & colore priori simile: in *Anglia* non visum.

Tertium

Tertium capite rubro insigne *Italia* habet in cibo laudatum, tanquam saluberrimum. *Gesn.*

Struthus nomen habet passeris exiguæ avis quamquam ipsa avium sit maxima (nisi quod à *Paulo Veneto* de ave *Ruc* scriptum est: non sit fabula) post aviculas igitur considerabitur. *Struthocamelus.*

Tanta ei est moles corporis, ut remigio alarum in cursum promoveri, à terrâ tolli non possit. Cibus erat *Judæis* vetitus; sed ab *Arabibus* & *Numidis* receptus. Eum *Romanis* mensis insana *Heliogabali* luxuria invexit, & (teste *Lampridio*) unâ cœnâ sexcenta struthorum capita convivis, ut cerebella ederent, apposuit. Carnes eorum ferunt, duras esse, ægrè concoqui, & melancholiam parere. Grandium struthorum omnia membra (inquit *Galenus lib.* 3. *de Aliment. fac.*) sunt dura, excrementosa, & dyspepta.

Horum congeneres videntur *Cassovares* ingentes aves, quas in Regio *Theriotrophio Londini* vidimus: sed pennis struthorum carent: è quibus plumarii militum cristas tam elegantes conficiunt: *Cassovares.*

Q CAP.

CAP. VI.

De genere aquatico.

1. GEnus aquaticum fere eſt eſculentum: Exhibet autem carnes notæ inferioris, quàm volucres montanæ, & ſylveſtres.

Cygni. *Carnes olorinas* niſi admodùm juvenum in cibis pauci probant: quippe craſſæ ſunt, duræ, & difficilis coctionis. Qui autem feri ſunt, & liberiùs vagantur, ii carnoſiores ſunt & purioris ſucci.

Anſeres. 2. Veteribus Britannis *anſerinam* guſtare piaculo fuit: at nunc vix aliud gratius ad eorum menſas venit. Eſt tamen vitioſi, & excrementoſi ſucci, & quamvis palato reſpondeat, in ventriculo, niſi robuſto, ægrè concoquitur: ſin talem nacta ſit, non parum præbet nutrimenti. De *hepate anſerino*, ejuſque incremento, ſi ritè ſaginetur, ſuprà diximus; quoad qualitates, temperatum, ſuave eſt, euchymum & multi nutrimenti. *Galenus* ſolum ventriculum, & hepar in cibis probat.

Anates. 3. Anſerinæ ſimilis eſt *anatum* caro: calidior tamen, & aliquanto humidior, præſertim domeſtica, nec ſucci multo melioris eſt, aut facilioris concoctionis. In omni volucrum genere ſicciores ſunt feræ; quippe quæ liberè vagando victum magis commodum inveniunt & volatu magis exercentur. *Jecur Anatis* vim obtinere fluxum

fluxum hepaticum ſiſtendi ſcribit *Raſis*.

Anatum & volucrum conſimilium capiendi ratio hæc eſt. Allectrices quædam, *παλευτρίαι* artem eam edoctæ, in paludes evolant, unde magnis paluſtrium gregibus comitatæ redeunt & miris illecebris eaſdem in aucupum retia pelliciunt.

4. Apud nos & vicinas gentes alitur *anatum genus ex Indiâ, aut Africâ* oriundum. *Anas afra.* Quæ vulgares corporis figurâ referunt, niſi quòd dimidio majores ſint; capite item & collo rubeſcant: ventre candidæ ſunt, tergo fuſcæ, ſuave olent. Noſtris ſatis ineptè dicuntur *Muſcovy Ducks*. id eſt, *Anates Muſcoviticæ*. Carne ſunt ſuavi, & quàm aliarum anatum calidiori.

5. Ad anatum formam & naturam proximè accedunt, *Querquedulæ*; *Querquedula.* ſed ſunt minores. Anate ſunt in ore ſuaviores, in ventriculo leviores, & multùm nutriunt.

6. *Boſcades* anatibus, & *querquedulis* ſaporis elegantiâ cedunt: *Boſcades.* ventriculum magis gravant, & ſucci ſunt deterioris. *Glaucium.* *Glaucium à Boſcade* oculis glaucis dignoſcitur.

Ad genus νηττώδεις multæ aves feræ pertinent: quarum quædam ſunt anonymæ, aliæ ab anatibus feris adeò exiguo diſcrimine diſtant ut non facilè diſcernantur; ſunt etiam Marinæ Anates.

7. *Chenalopeces* noſtris in uſu cibario ſunt; ſed pro lautioribus cibis cum veteribus Britannis non utimur, *Chenalopex.* nam carnium ſuavitate, & euchymiâ à toto anatum genere ſuperantur.

8. *Brenta, & Barnicla* aves Britannis notæ, inter anſeres & anates ambigunt, *Brenta & Bernicula.* ſpecie quidem differunt, ſed diſcrimine minori, quàm ut facile

internoſcas, de æquivocâ earum generatione plura legi,& audivi, quàm credo. Carnes earum doctioribus palatis non placent, ægrè concoquuntur, & ſuccum melancholicum præbent.

Anſer Baßanus. *Anſeres Baſſani* ova pariunt, & excludunt in rupibus & clivis inſulæ dictæ *Baſſæ*, in *Scotiâ* nec alias in totâ Britannia. Inquit *Turnerus* incolis dicitur hæc volucris A *Solandguſe:* piſcibus victitat, & à Scotis inter menſarum delicias habetur.

Platea. 9. *Platea* ab aliis aquaticis, quæ rapto vivant, prædam aſtutè præripit,& avidè vorat.Et ob rapinam,(ut quidam exiſtimant) *Judæis* fuit ſymbolicôs interdicta nihilominus multis olim in deliciis habita eſt, & adhuc habetur. Caro anſerinæ ſapore, & aliis qualitatibus non diſſimilis videtur.

Oppianus hanc avem ab *onocrotalo* non diverſam eſſe innuit, dum ſcribit: κόλπον ἐξηρτῆσθαι πρὸ τοῦ στέρνου. Sinum ante pectus dependere.

Onocrotalo quidem quaſi ſacculus ante pectus *Onocrotalus.* dependet, non Plateæ. Sunt qui *Porphyrionem* cum *Pelicano* confundunt, eandem avem arbitrati; quòd ubi Septuaginta *Pelicanum* reddiderunt, Hieronymi tranſlatio porphyrionem habeat. *Onocrotalus*, ut ſpecie ita & carnium ſapore cygnos refert.

Porphyrionem verò *Ælianus* affirmat, in cœnis poſuiſſe neminem.Unde miror ſcripſiſſe *Plinium* laudatiſſimos e Commagene, nobiles è *Balearibus* mitti.

Puffini. 10. Avis eſt maritima ab *Anglis* nominata *a Puffin*, à Gallis *Macrouſe*; magnitudine æquat *querquedulam*. In inſulis quibuſdam maris *Hibernici* inenarrabilis eorum copia eſt. In cuniculi cavernâ pariunt,

pariunt, depulſo vetere incolâ. Pullus, qui ſemper unicus eſt, mirum in modum pingueſcit. Sed carnes piſces ſapiunt: imo quibuſdam piſci ſunt. Nam eſus earum muriâ ſervatarum in ſolenni jejunio à *Romana Eccleſiâ*, perinde, atque piſcium dicitur conceſſus.

11. Reliquæ volucres aquatici & paluſtris generis ptopter aliquod vitium ditiorum menſis vix admittuntur. *Ardeas ſtellares*, *Gavias*, *Laros*, aliaſque tam digitatas, quam palmipedes multas ſtrigoſa macies præter carnis duritiem à delicatulis expeti prohibet. *De avibus quibuſdam quæ rarò in cibos veniunt.*

Corvum marinum præter alia vitia color furvus dehoneſtat: ut *Mergum & fulicam* quare Galli quidam hanc Diabolum, illum Græci ἄιθυιαν nominarunt.

Marinarum avium ſpecies innumeræ ſunt & pleræque anonymæ latinè; quod erant veteribus incognitæ; utpote qui maria, quibus verſantur, non noverant. Carnes earum, quotquot pingueſcunt, oleoſæ, fracidæ, & excrementiciæ fere ſunt, ſin macreſcant, craſſæ, duræ, dyſpeptæ. Plurimas volucrum ſpecies lubens omitto.

A carnivoro, & rapaci genere ferè abſtinetur. Tamen *Jo: Rajus* obſervavit: quod carnes iſtiuſmodi in *Italiæ* macellis nonnunquam venirent, & inter nos pauperculi inediâ preſſi à corvis carnivoris, & rapaci genere non abſtinent: itém *Geſnerus* citat *Rab: Moſem* ſcribentem: Carnes accipitris juvenis, & pullos noctuæ boni eſſe ſaporis, animum corroborare, & melancholicis prodeſſe. In Balearibus inſulis, (inquit P*lin. lib.* 10. *cap.* 29.) *Buteo* accipitrum generis in honore menſarum fuit.

CAP. VII.

De ovis volucrum.

1. VOlucres domesticæ dominis, quam sibi, sæpiùs pariunt: nam *Ova* in omnium ferè mensis usitatum ferculum est. Ab eis enim antiqui cœnas auspicati sunt: & eisdem finiebant; nam secundis mensis (teste *Athenao*) inferebantur. Locupletibus, qui magno emptis genio indulgent, *Phasianæ* & post ea *Afræ*, nonnullis *Anserum ova* maximè æstimantur. *Epetetus apud Athenæum, & Heraclides Syracusanus pavoninis* primas, secundas *Chenalopecis ovis*, tertias *Gallinæ domesticæ* attribuunt.

Ova.

Galenus lib. 3°. *de aliment. fac.* ait: Gallinarum & *Phasianorum ova* præstantiora sunt. Deteriora anserum, & struthocameli. Alii vero hæc laudant, & aliis præferunt.

Sed reverâ Gallinacea è villaticis nullis aliis cedunt. Nam recentia, & ritè cocta gustui sunt jucunda, & sine ullo incommodo abundè boni nutrimenti præstant: *Subventaneis* & vetustate irritis nil fædius.

Molliuscula, & *tremula* cinere, aut aquâ cocta ventriculum non gravant, & facile distribuuntur. Æstate quidem, calidis & biliosis temperamentis minùs conveniunt, & frixa sæpe ingratum nidorem cient.

2. For-

2. Formam quod attinet, alii cum *Catio Horatiano* longiora probant.

Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere, namque marem cohibent calloſa vitellum.

Quæ tamen iſtius formæ ſunt *Ariſtoteles lib. 6. animalium* ſcribit, fæminea; rotunda verò maſcula eſſe. *Plinius* huic ſententiæ repugnat, & feminas è rotundis, mares è longis produci aſſerit, *lib.* 10. *cap.* 52. cui *Columella & Avicenna* ſubſcribunt: de veritate, ſi tanti ſit ſcire, conſule experientiam.

3. *Partes* ovi *albumen, & vitellus* qualitatibus diſcrepant. Hic enim calidus eſt, & humidus; illud autem frigidum, ſiccum & dyſpeptum. Sed firmiter nutrit. Vitelli ovorum multis modis in cibos laudabiles, & debilitatis reficiendis idoneos coquuntur. *Albumen. Vitellus.*

4. *Ova ſorbilia* i. e. albumine nondum coctione denſato, pharynga leniunt. *Gal. lib. de euchymis.*

Tuſſi, pleuritidi, phthiſi, raucedini, dyſpnœæ Hæmoptiæ auxiliatur vitellus; ſi tepidus ſorbeatur. *Avicenna.*

Veſicæ, renumque exulcerationibus, gutturis ſcabritiæ, ſanguinis rejectioni, deſtitutionibus & thoracis rheumatiſmis Ovum leviter coctum & ſorptum prodeſt. *Dioſcorid.*

Ovorum albumina tria vel quatuor in aquæ fontanæ congio concuſſa febrientibus proſunt. refrigerat hic potus & alvum ciet. *Hippocrates lib.* 3. *de morbis.*

In ovo ſorbili ſulphur contra tuſſim, cimex in vomitum, & quælibet catapotia in alios ſcopos commodè exhibentur. *Marcellus Empiricus. Ova Pavonis* in arthritide vagâ proſunt; ſunt qui corvorum Ova in dyſenteriâ exhibent. *J. Schroderus.*

Nidi volucrum eſculenti. 5. Quis ultra carnes, & ova aliquid cibi aut medicamenti ab avibus expectarit? tamen conſtat teſtimoniis fide dignis: aviculas quaſdam hirundinum ſimiles in *Cochin Chinâ* è ſpumâ quâdam tenaci nidos pellucidos ovi anſerini magnitudine conficere; in quibus rupi appenſis pariunt. *Ubi inveniuntur.* Hos decutiunt incolæ, & tota Indiâ nepotibus luxurioſis vendunt, qui eiſdem jure aliquo ſolutis cibos condiunt: in quo uſu *Europææ* Gulæ irritamenta ſuperare dicuntur. *Eorum uſus.* Inſuper vires collapſas inſtaurant, & libidinem veneream admodum proritant.

COM-



COMMENTARII De PISCIBUS.

CAP. I.

De Piscibus esculentis in genere.

1\. HUmana industria, gula cogente, magnam sui victûs partem ex alieno elemento petit. Vastus igitur Oceanus, fluvii & stagna piscatorum everriculis passim hauriuntur. Unde priscis innotuerunt plusquam 70. species piscium, præter crustis testisque intectos. Nostrâ verò ætate longè plus, ob novas Oceani regiones recens detectas. *De piscibus.* *Variæ sunt piscium species.*

Pisces cujuscunque generis sunt, cibum humanæ temperiei vix perinde congruum, ac reliquæ animantium classes suppeditant. Quippe facilè putrescunt, & corruptionem nostræ naturæ diversissimam subeunt. Sunt ferè in cibis animantibus terrestribus magis frigidi & humidiores.

Saluberrimi habentur *Saxatiles* ita dicti à vadis saxosis, quibus versantur; hi ægris etiam febrientibus tuto esitantur; quod facilè distribuuntur, *Saxatiles saluberrimi.*

tur, parum Sulphuris continentes, quod in sanguine febriles æstus resuscitet.

Pisces amplam luxuriæ materiam præbent.

2. Vix aliud ampliorem ganeæ materiam præbet, quàm pisces. Vel potiùs coqui in lenocinio condimentorum, nimis piscibus abutuntur. Inde olim *Acipenseri* tantus honos, & *mullo* pretium, ut hic *Asinio Celeri* octo millibus nummum veniret; ille à ministris coronatis (ut *Macrobius in Saturnalibus* testatur) in convivia induceretur. At *Plinii* ætate idem multo in honore fuit.

Quomodo differunt ratione victûs.

Piscium nonnulli ætate proficiunt; alios juventus commendat. At eædem species pro loci, tempestatis, & victûs ratione magnam in cibis differentiam habent.

Qui in limosis stagnis degunt cœnum ferè & olent, & sapiunt. Qui intempestivè capiuntur, scabri sunt & plerumque macilenti, & qui sordibus magnarum urbium victitant, pessimi habentur. Unde *Nar*, quàm *Tiberis*, qui *Romæ* purgamenta excepit, meliores pisces à *Galeno* habuisse dicitur.

Ratione diversæ coctionis.

Rationem piscium coquendi quod attinet. Elixi fermè sunt innocentiores & proximi his assi: sed oleo aut *Butyro* frixi usitatius eduntur: at ex istâ præparatione nidorem in ventriculo multis excitant, nec facile concoquuntur.

Sed reverâ cum alii aliam coquendi rationem postulant, coqui mille condiendi modis, aliquam saporis gratiam cunctis nôrunt accersere.

Qualitatum autem in rebus, ad victus salubritatem pertinentium, tantùm satagens, coquinariam Epicureis relinquo.

CAP.

CAP. II.

Cete & Pisces cetacei.

1. NAutæ *Angli*, *Vascones*, & *Belgæ Balænas* in mari septentrionali quotannis Pisces venantur, & aliquando *Orcas*, *Pristes*, aliave immania *Cete*, eademque fuscinis vulnerata sæpe capiunt: sed pinguedinis, quâ vice olei coriarii utuntur, rarò carnium gratiâ. Soldani verò & *Æthiopes* litorales prope promontorium bonæ spei Balænarum carnibus, quoties licet, vescuntur: & caninis eorum stomachis convenit, quibus intestina etiam cruda, & fætentia sapiunt. *Balænæ orcæ & Pristes capiuntur.* *Et quibusdam cibo sunt.*

Rondoletius tradit: linguam balænæ sale conditam Aquitanis in deliciis haberi. Carnes verò earum *oleosæ*, & olentes sunt à ventriculo humano utcunque valido ægrè subigendæ. Has qualitates vix noverat crassus ille *Judæus*, qui somniavit: Carnes *Leviathanis*, quem ingentem quandam balænam fuisse intellexerat, in universale beatorum convivium salitas & reconditas. *Lingua balænæ Aquitanis in deliciis est.* *Carnes.*

2. *Phocæna* sive *Tursio*, bellua est marina, nautis maximè nota, delphini similis, nisi quòd tristitiâ aspectûs ab eo differat: lasciviæque quæ in delphino conspicitur, prorsus expers sit: rostro canicularum maleficentiam præ se ferens. *Plin. lib.* 9. *Phocæna qualis piscis.* *Aristoteli est delphini species.*

Phocænam delphini speciem esse docet *Aristot. lib.* 6. *de Hist. anim. cap.* 12. Est autem *Tursio* breviore, & crassiore corpore quàm Delphinus, & coloris ex cæruleo in obscurum liventis. Gregalis

galis eſt, & quòd greges eorum ad naves ludibundi frequenter appropinquant, fuſcinis percuſſi capiuntur.

Carnes phocænæ. *Carnes phocænæ* præpingues ſunt, & olentes, à nautis tamen ſæpe manduntur, ſed guſtui non placent, ſtomachum autem relaxant, mali ſucci ſunt, ut reliqui *Cetacei.*

Delphinus. *Ejus deſcriptio.* 3. Piſcis è *cetaceo* genere nobiliſſimus eſt *Delphinus* φιλανθρωπίᾳ, & mirâ pernicitate inſignis, 5. vel 6. pedes longus tergo livente, ventre albicante, roſtro tereti & oblongo in Anſeris modum quamobrem vulgo *Gallorum*, *anſer marinus*, *Oye de mer*, appellatur. Non eſt dorſo repaudo, incurvus, ut in antiquis marmoribus, & numiſmatis fictum videmus: id ſolum ſtatuariorum, & pictorum libido effecit.

Carnes. *Carnes Delphini* laudatas audivi. *Bellonius* dicit, delicatiores eſſe carne *Phocænæ*, & minus pingues. *Germani* igitur eas libenter edunt.

Galli opiparè coctas principum menſis inferunt. Quod *Rondoletius* miratus eſt: cum ferinus odor cibi gratiam, ſiqua ſit, tollat. *Itali* ab eis prorſus abſtinent: & *Galenus lib.* 3°. *de aliment. fac.* delphinos inter *Cete* numerat, quæ omnia carnem pravi ſucci & excrementiciam habent.

Manatus. i. e. vacca Marina. Deſcribitur. Ejus carnes quales ſunt. 4. Navigantibus in mari *Atlantico* occurrit, & nonnunquam prope litora intercipitur, *Bellua* marina; quam *Hiſpani Manati*, quaſi manibus præditam vocant, *Angli* verò & *Belgæ Seacow*, *vel Zeecugh*, id eſt, *Vaccam marinam.* Nam præter faciem bovis, quam refert, carnes, quas firmas ſine oſſibus interſperſis habet, *bubulæ* adeò ſimiles ſunt, ut ferant, ſalita fruſta pro *bubulâ Anglicâ* in *Hiſpaniâ* incautis obtruſa fuiſſe.

Hæc

Hæc Bellua *cetacea* amphibia est, ut etiam *phoca*, *Hippopotamus Nili* à *Bellonio Byzantii* visus, & descriptus, animal etiam quod *Russi* dicunt *Morz.* quibus ; licet terram nonnunquam petant, aqua habitatio est : itaque inter Cete numerantur. *Hippopotamus Nili. Morz.*

Veterum boves marini , erant pisces cartilaginei è maximo *Rajarum* genere . *Rajam oxyrhynchon majorem* antiquitus bovem fuisse appellatam putavit *Rondoletius* ; quæ carne est molliore & suaviore quàm cæteræ. *Boves marini veterum.*

Salpa etiam *Bos* dicta est, quod herbis marinis ut *bos* terrestribus vescatur. *Salpa est bos dictus quia herbis vescitur.*

Manati adeps cum pane vice butyri comestur, lapis in capite ejus inventus nephriticis prodest, calculum frangit, arenam expellit. Sed usus quibusdam improbatur : quòd stomachum nimis turbet & vomitum cieat. *Tertræus in Hist. naturali de Antillis. tom. 2. tract. 4.* *Manati adeps.*

5. *Phoca* animal est cetacei generis, corio, & pilis contectum, & amphibium , in litoribus notum , in quibus mari relicto sæpe altum stertit. Dicitur etiam vitulus marinus ab aliquâ vituli terrestris similitudine ; non quod sit vaccæ marinæ fætus, nam totâ specie differunt. *Phoca.*

Carnes hujus belluæ carnium *Manati* firmitatem non æquant : sed molles sunt, spongiosæ, pingues, mali succi, ocyus satiant , & nauseam pariunt. *Avicennæ* tamen , & aliis videntur epilepsiæ & suffocationis hystericæ remedium. Nescio quamobrem, nisi quòd fædè oleant. *Carnes.*

6. Mare graviorem pestem non habet ; quam belluam *cetaceam* , quam à dentibus asperis , & exertis *carcharian*, à voracitate *Lamiam* appellant : λαιμὸς, unde lamia deducitur , ingluvies est. *Canis carcharias aut Lamia. Unde ita nominatur.*

Belloni-

Bellonius inter canem carchariam, & Lamiam distinguit: alii non item. Quanquam possunt esse istius animalis diversæ species. Credo equidem *Tiberones* urinantibus in mari *Indico* infestos, hujus generis esse, non phocas, ut *Rondoletius* nec *gladios pisces*, ut *Gesnerus* conjecit.

Carnes ejus quales in cibis sunt. Hæc bellua ob rapacitatem facilè inescatur, & hamo exceptus fit cibus nauticis: sed non laudabilis, aut grati saporis. *Rondoletius* verò negat esse ferini saporis, sed candidam, non multùm duram, & ob id multorum *Galeorum*, ad quos pertinent, præferendam.

Galli hunc piscem appellant *Requiem*, quòd requiem pro defunctorum animis sæpe cantari facit.

Thynnus unde dicitur. 7. *Thynnus* nomen habet παρὰ τὸ θύειν. i. e. impetuose ferri; quòd caniculâ æstuante, asilo agitatus in litora & navigia nonnunquam ruit, idem patitur *Xiphias*, & aliquando *Delphinus*.

Ubi capitur. Ineunte æstate *thynnus* in freto *Gaditano* copiosè capitur, sub id tempus enim in mediterraneum ex Oceano Atlantico irrumpens piscatorum sagenis objicitur, innumeri horum ita capti, & membratim cæsi in cetariis *Gaditanis* salluntur, unde in plerasque *Europæ* regiones divendi solent.

Ejus partes. Cetarii *Italiæ* pingue *thynni* saliti abdomen seorsum asservatum *tarantello* appellant, partes autem pinguedinis expertes, *Tonina*. *Hippolyt. Salvianus*.

Græcis olim caro salita dicta est *Omotarichus*, & *cetena*. *Clidion* erat ejusdem jugulus præcipuè in recenti commendatus. *Cybium* segmentum est; cui medium æquè patet in omnes partes. *Cybia*

uræa

uræa sunt è partibus caudæ proximis: aliæ thynni partes *melandrya* dicuntur.

Alexis apud Athenaum caput *Thynni* præcipuè laudat: aliis hypogastrion arridet. *Carnium qualitates.*

Sed reverà pingues & teneræ abdominis in *thynno* partes, utcunque gustui placeant, stomacho inimicæ sunt, quem relaxant, ut alia ejusmodi: è contra segmenta dorsi et circa caudam, ut minùs delectant, ita parum officiunt.

Jovius præcipit, recentes *thynni* carnes in vino *Corsicano* cum oleo, pipere et cæpis incisis coqui, quod condimenti genus Ligures *Azeminum* vocant.

8. *Xiphias* piscis est pelagius *cetacei* generis, quem *Plinius* et *Gaza* latinè *Gladium* appellarunt. Notus est rostro osseo è superiori maxillá prodeunte et duos tresve pedes exporrecto, cætera *thynno* non multùm dissimilis. *Rondoletius* affirmat, eum decem cubitorum magnitudinem nonnunquàm attingere. Et *Jovius* tradit: in Oceano *Indico* tantos esse, ut navis latera rostro aliquando perforârint. Sed credo; illud si factum sit *Monocerotem* piscem, non *Xiphiam* fecisse. *Xiphias. Ejus descriptio.*

Piscis est pinguis, nisi ubi œstro agitatur, *Jovius*, eum bonitate et pretio *Siluris* (ita sturiones mendosè vocat) æqualem censet. *Cujusmodi habet carnes.*

Eundem verò *Simeon Sethi* judicat, mali succi esse, concoctu difficilem, et nauseam afferre; nec edendum, nisi acrioribus condimentis emendatum; et vinum generosum superbibendum monet. *Rondoletius* tradit: gladium carne esse longè candidiore, quàm *thynnus*, non insuavi, sed concoctu difficili; multùm nutriente.

9. *Amia* piscis *thynno*, aut pelamydi aliquate- *Amiæ figura.*

nus similis à nautis nostris *Hispanico* nomine *Bonito* appellatur. *Amia* vox græca est; Latino nomine caret.

Carnes. Carnes ejus pingues, molles, & suaves sunt, boni succi, & parvi nutrimenti.

Galenus è Philotimo. lib. 3. de aliment. fac. inter pisces duræ carnis videtur recensere. Sed menda, ni fallor, subest: & legendum Λαμία pro Αμία. Nam *Philotimus* alio loco, *Galeno* ejus verba citante, *Amias* inter pisces μαλακοσάρκους, teneræ carnis enumerat. *Amia* in cibo sumpta fertur dysenteriæ mederi. *Kiranides.*

CAP. III.

De Asellis.

Aselli ubi potissimum capiuntur. 1. NUsquam vastiora sui pecoris armenta *Neptunus* habet; quàm *asellorum* in mari Septentrionali, quorum capturæ accolæ magnòperè incumbunt, & suis saturatis, eorum ad exteras gentes abundè convehunt. Græce hi pisces ὄνοι, & ὀνίσκοι dicuntur. Latinè formâ diminutivâ tantùm utimur, *Asellos* à cinereo dorsi colore nominantes. *Unde id nominis habent.*

Callaria & bacchi. *Plinius lib. 9. cap. 17.* duo tantum eorum genera statuit. *Callarias*, qui minores, & *Bacchos*, qui non nisi in alto capiuntur. Cujus vocis vestigium in *Hispanorum* lingua superesse videtur, quibus *Aselli* siccati *Bacchalaos* dicuntur.

No-

Nostræ verò *cetariæ* longè plura *Asellorum* genera ostendunt, de quibus speciatim.

2. Piscis in nostris icthyopoliis, & mensis ex *asinino* genere maximè celebris est, cui à labro inferiori, ut *Barbotæ*, pendet barbula carnea, venter est prominens; caput crassum, & longitudo trium pedum, nonnunquam quatuor, dicitur quibusdam, sed novè *capito*. Nostris *a Codde*. Batavis *ein Bollick*. Caro ejus recens tenera est, suavis, facilis coctionis, præsertim caput, quod artificio, quo oportet, coctum sit ferculum, quod *Apicius*, si nunc viveret; mensis nostris inviderет: folliculos glutinosos continent, quos vocamus *Sounds* quibus multi non imperitæ gulæ delectantur. *Asellus Barbatus.* *Qualis in cibis.*

3. Aliam *asellorum* speciem prioris similem, nisi quòd sit ventre contractiore, & minore capite tenuior etiam & longior dicimus *Linge*. Caro hujus recèns capti sapore est jucundo; sed salita fit cibus illaudabilis; & non nisi aliquot annorum spatio inveterata maturescit. Sed exinde inter Magnatum delicias ejus clidium locum obtinet. At tum quidem duriuscula est; nec expeditæ concoctionis. *Asellus longus.* *Cujusmodi carnes præbet.*

4. *Asellum nigrum*, quem dicimus *a Colefish* i. e. piscem carbonarium, *Bellonius* putârat *Anglis* esse peregrinum. Sed potiùs dixisset: Cretense nesciisse pelagus. Nihil enim nostris hoc pisce est notius. Recèns captus, et, ut oportet, coctus probe sapit. Sed exiccatus omnem saporis gratiam amittit; et in Rusticorum tenuioris fortunæ casas receptus tantummodo famem mitigat, nam cibus est durus, et parvi alimenti. *Asellus niger.*

Asellus medius. 5. *Asellus*, quem nostrates nominant *a Codling*, Asino barbato multò minor est sed cætera ei non absimilis. *Guil: Turner in Epist:ad Gesnerum* tradit suæ Northumbriæ peculiarem esse. Sed alibi capiuntur. Idem scribit eundem formâ *Coddum*, sapore *Lingum* referre: mihi edenti caro visa est arida.

Asellus dictus Anglis a hake. 6. Mare Britannicum Piscium dictorum nostris *Hakes*, Asinini generis copiam profert, formâ *Asellum* longum, colore, & sapore Barbatum refert.

Callarias a Haddock. 7. *Callarias* dictorum piscium affinis est, sed minor: sive recens, sive salitus delicatulis palatis vix placet. Idque ob duritiam carnis: rarò igitur divitum mensis, at pauperum, quia vili væ-nit, necessitatibus inservit.

Asellus candidus Oniscos. 8. Minimum *Asellorum* genus saporis gratiâ & salubritate præstantissimum est. Hi nostris audiunt *Whitings*, Carnes eorum friabiles, dulces, & coctionis adeò facilis; ut quibuslibet ægris concedi possint, & ob hujusmodi dotes, licèt abundent, in procerum mensis non sordent: sed aulici dicuntur. Nutrices quædam, lactis, si mammis deficiat, frequenti hujus piscis esu, ubertatem reducendam sperant.

Merlangus. De piscis sui *Merlani* dicti excellentiâ gloriatur *Gallia*. Quem vulgò dicunt: non graviori oneri esse ventriculo comestum quàm si *Zonæ* appensus gestaretur. Est ex *Asellorum* genere, & idem atqae noster *Asellus* candidus, aut ei simillimus, & tam deformi non dignus nomine.

Asellorum quædam appellationes. 9. Alias appellationes apud nos sortitum est *Asellorum* genus: à locis enim prope quæ capiuntur

tur, dicimus; *New found Land Fish.* i. e. pisces à terra nuper repertâ. *North Sea cod.* i. e. asellos à Mari Boreali. *Hebardune* ab oppido *Islandiæ* ita dicto. A modo asservandi: ut *Barrel Codde*, id est, Asinus doliis inclusus. Aere siccatus dicitur *Stockfish*, quòd non nisi in stipite malleo subactus præ duritie sit esculentus. *Stock Anglicè* significat stipitem. *A locis ubi capiuntur.*

Quoties à capturâ grandes & habiliores seliguntur, qui supersunt, tenues, & jejuni siccati, dicuntur Gallicè *pauvre Gents.* i. e. plebs tenuis. Et à nostris, voce non intellectâ *Poor John.* Asellos candidos aere siccatos nominamus *Buckhorn* hoc est *Platycerotis cornu*, quod duritie ferè æquant.

CAP. IV.

Sturio & pisces cognati.

STurio nonnullis nobilitatus *Romanorum acipenser* videtur. Quibus *Archestratus* insignis opsodædalus apud *Athenæum* haud astipulatur. Sed contendit: *Acipenserem Galeum Rhodium* fuisse (*Galeum Gaza mustelam* interpretatur) & *Paulo Jovio in libello de Romanis piscibus*, is esse videtur, qui vulgò dicitur *Lampetra major.* Alii *Acipenserem* sturionem fuisse, sed Maris Mediterranei alumnum qui, testante *Rondoletio*, cubiti magnitudinem non excedit; cùm in Ponto, & *Sturio. An veterum acipenser.*

Sturio est vox Gothica. Oceano ad molem cetaceam crescat.

Vox, *Sturio*, à *Gothis* in linguam *Romanam* introducta videtur, Piscis autem, quem denotat; (quocunque nomine antiquitùs insignitus erat, magnus est, cartilaginei generis, qui aquarum dulcedine allectus, è mari, in quo plerumque nascitur, fluminum magnorum ostia subit, & sursum tendens capitur.

Sturionis descriptio.

Ubi potissimùm capitur. Ingenti hi copiâ ad nos à *Rheno*, *Albi*, aut Sinûs *Balthici* litoribus muriâ conditi deferuntur. Ad *Venetos*, *Græcos*, *Turcasque* à *Tauricâ Chersoneso*, unà cum suo *Caviario* veniunt.

Carnium qualitates conditurum. Carnes ex illiusmodi præparatione plerisque palatis gratè sapiunt, candidæ sunt, sed duriusculæ, boni succi, & multi nutrimenti illis qui ventriculum, qui conficiat, nacti. *Recentium.* Sunt qui vitulinæ recentes conferunt, quâ tamen ferè pinguiores sunt, & suaviores. *Hepar.* Hepar *sturionis*, quòd dulcius sit: quàm palatum commodè ferat, à coquis suo felle fricari solet.

2. Sunt item alii pisces his formâ non multum absimiles, & magnitudine pares, aut superiores, qui multis in fluviis eorum capacibus inveniuntur, istiusmodi sunt *Husones Danubii*, qui *Husones.* (ni fallor) iidem, ac *Antacæi Strabonis* sunt, quos ait, *Delphinis* esse pares, & ad Mæotin, aut *Borysthenis* ostia è glacie effodi.

Attili. 3. Quibus affines sunt *Attili Padi*, qui inertiâ pinguescentes sæpe ad mille pondo hamo capiuntur.

Siluri. 4. *Silurum*, qui etiam fluviatilis, & marinis est, & mole prægrandis, præsertim, si *Nilo*, aut *Gange* nutriatur, *Jovius in lib. citato* ipsissimum *Sturionem* putat. Quem etiam nonnulli eundem atque

atque *Glanim* autumârunt. Sed utramque sententiam refellit *Rondoletius*. Siluri caro salita in annum servatur: sed eruditis *Gulis* non perinde placet, atque *Sturionis*.

5. *Glanida* carne durâ, & insuavi, rustici vix suis mensis dignantur, ab ipsis lacûs, in quo capitur, accolis negligitur: credunt enim ab eo tempestates induci, nec unquàm majores capi sine proximâ tempestate. *Glanis*.

Pellibus glanidum firmis & tenacibus, vice membranæ *Pergamenæ* sua *Tympana Turçæ* contegunt. *Bellon.*

6. Liquet omnibus, *Lupum piscem* inter *Romanas* lautitias amplum gradum tenuisse, præcipuè si inter duos Tiberis pontes caperetur. Sed ambigitur quisnam è notis piscibus erat. Fuerunt, quibus persuasum erat *Sturionem* esse veterum *Lupum*. Hanc sententiam refellit *Paul: Jovius*. Alii putârunt *Lucium* eundem esse atque *Lupum* quæ opinio autoritate *Galeni* convincitur. Qui *lib.* 3. *de aliment. facult.* hæc scribit: *Lupum in aquis dulcibus natum non vidimus; sed ex mari in flumina & lacus ascendentem conspeximus.* Jam verò *Lucius* à mari prorsus abhorret, nec unquam ad ostia sponte descendit. Plerisque igitur eruditis placitum est: piscem qui Græcè λάβραξ, παρὰ τὴν λαβρότητα à voracitate, *Romanis spigola*, *Venetis varollo*, *Hispanis rovallo*, *Gallicè bar*, *Anglis* dicitur *a* B*ase*, veterum fuisse *Lupum*. *Lupus marinus*.

Duo eorum erant genera, qui erant macularum expertes *lanati* dicti à candore & carnis mollitie; reliqui varii, unde nunc Venetis *Varoli*.

Lupi carne sunt candida, molli, perquam sa-

 pidâ,

Gal. de aliment. fac. lib. 3.

pidâ. Alimentum è pelagio *Lupo* sanguinem consistentiâ tenuiorem gignit:sunt,inquit *Hicesius apud Athenæum*,lupi εὔχυλοι & πολύτροφοι· i.e. boni succi & multum nutriunt.

CAP. V.

Canes Marini aliique Mustellini generis.

1. AD *cetaceum* genus spectant, alii *Canes Marini*: quibus caro in cibo est duriuscula, insuavis & excrementicia, in cybia tamen secta plebem famelicam pascit; delicatulorum palatis non respondet.

Qui *vulpem, centrinam, Zygænam, ranamque piscatricem ad Galeorum* tribum, perinde ac canes marinos refert, non extra rationis oleas vagatur. Sunt omnes *cetacei*, durâ carne, ferinum olente, dyspeptâ; sed quæ stomachum nacta, qui conficiat, multùm nutrit.

Congri.

2. *Congrus* Græcè γόγγρος dicitur à verbo γρῶ, vorare, est Piscis vorax, longus, anguillæ formâ. Duplex est congrorum genus, unum quod albicat, & est pelagium; alterum nigricat, & magis litorale est. In Oceano nonnunquàm tantæ molis sunt, ut ἀνδραχθεῖς quantos homo ferat: imo ἁμαξιαῖοι plaustri onus dici meruerint. Carnes præbent duras, nec faciles concoctu, modicè nutrientes.

Ar-

Archestratus tamen apud *Athenæum lib.* 7. gulæ consultissimus magni & pinguis congri caput & interanea commendat.

3. *Muræna* in Oceani litoribus rariùs conspicitur, in aliis vulgaris est. Mas *Myrus* dicitur, & formâ à *murænâ* differt. Muræna multis modis varia est, & imbecillior: *Myrus* concolor robustior, & coloris pinei, ideo non opus est, ut *myræna* ad serpentis coitum aquis exeat. Romana Luxuria eis vivaria instituit, & immanis sævitia humanas escas paravit. Nota est *Vedii Pollionis* historia. *Crassus* amissam murænâm, ut Filiam lugebat: alii monilia, ut Puellæ appendebant. *Myrus, & myræna.*

Maximis impensis in Ganeam perditam alebantur, unde dixit quidam, Vivaria murænis magno extrui, magno impleri, pluris ali. Sed unde id honoris & pretii pisci malefico? Carnes earum *Galenus* vix probat: sunt enim difficiles concoctu, pravi succi; Inflationes, & malos humores generant: magis alunt, quàm anguillæ, minùs quam congri. *Archestratus* modò laudatus myrænam e freto Siculo celebrabat. Illic enim in summâ aquâ præ pinguedine fluitantes *flutæ*, vel Græcè πλωτὰι dicebantur, aut potiùs sole torrefactæ murænæ, & anguillæ se curvare posse & in aquam mergere desierunt, atque ità faciles captu fiebant. *Varro. Macrob. è Varrone.*

4. *Ophidion* piscis in nostris litoribus subinde captus congri similis est, sed multò minor; sui omnino generis, non congri fætus, aut species. ut Græcè voce diminutivâ ὀφίδιον, Item nostris nomine ejusdem significationis appellatur (*a Snake*) i.e. anguiculus. Carnes habet candidas, *Ophidion, Plinii.*

at duras, in cibo paucis probatas; tamen contra urinæ incontinentiam prosunt. *Plin.*

CAP. VI.

De piscibus saxatilibus generosis à Galeno olim celebratis.

Julides. 1. PIscem *Julide* pulchriorem mare non habet, itaque à Venetis Massiliensibus *Donzella* nominatur. *Bellonius.*

Carnem præstat, ut supra notatur, saluberrimam, mollem, friabilem, optimi succi, & perfacilis concoctionis. Sed de hoc pisce aliud *Ælianus* notat, (quod aliis pulchellis nonnunquam usu venit) os habet venenosum, quo quicquid degustaverit, inficitur. Adeo ut, qui inopiá pressi pisces ab illis semesos gustàrunt, in graves dysenterias inciderint.

Phucis. 2. *Phycis à phyco.* i. e. alga dicta est in quâ præter piscium aliorum morem nidificat: carnes ei molles sunt, & concoctu facillimæ sed non nisi sale, & aceto conditæ gustui satis placent, alimentum verò idoneum, & saluberrimum præstant.

Scarus. 3. *Scarus* inter pisces saxatiles primas tenet: squamis magnis, & tenuibus tegitur; colore est è cæruleo nigrescente, ventre candido, & figurâ ad rotundam prope accedente, dentibus humanorum instar planis *Rondoletius* scribit; in Oceano rariùs capi. Carnes ejus suaves, leves, molles,

&

& friabiles sunt, itaque concoctu faciles, & cito distribuuntur.

Intestina scari, ut *Eperlanus*, violas redolent: *Suetonius* tradit scarorum hepata *Vitellii* principis gulosæ luxuriæ inserviisse. Quanti apud veteres fuit scarus, docet *Ennii* versus ab *Apuleio* citatus.

Quid scarum præterii cerebrum Jovis penè supremi.

4. *Merula* saxatilis piscis, & marinus tincam fluviatilem aliquatenùs specie refert, carnes molles, friabiles, & eupeptas exhibet. *Trallianus* hunc piscem, & turdum marinum in hepaticâ dysenteriâ ex intemperie frigidâ commendat. *Merula.*

5. *Turdus* piscis etiam saxatilis, & litoralis, ut volucris ita dicti nomen, ita ejusdem, ob egregias in cibo facultates, famam assecutus est: de palmâ euchymiæ cum reliquis saxatilibus contendit, nec ulli cedit. Multa eorum genera *Columella* numerat, si recte memini, duodecim, quæ omnes non sunt ejusdem notæ, quæ puriore victu gaudent, sunt optimæ. *Turdus marinus.*

6. *Perca est marina & fluviatilis. Marina* à fluviatili pinnis distinguitur, hæc enim duas in tergo habet; illa unicam, sed continuam: marinæ in Oceano rariùs occurrunt. Mare mediterraneum, eisdem abundat. Saxa muscosa & algosa colunt. *Bellonius.* *Perca. marina.*

Omnes bonitatis numeros in cibis explet, *Rondoletius* eos reprehendit, qui ea, quæ de marinâ à *Galeno* dicta sunt, fluviatili accommodant, cujus caro, inquit Dura est, glutinosa, & concoctu non facilis. Et *Gesnerus Rondoletio* sub-

scribit

scribit. Medici tamen *Angli*, *Galli*, & *Itali* fluviatiles valetudinariis etiam febrientibus experientia ducti apponere non dubitant: quæ enim fluviis purioribus aluntur, marinis saporis bonitate, aut aliis dotibus non cedunt.

CAP. VII.

Pisc: litorales & Pelagii.

Gobii mar. 1. G*Obius marinus* piscis litoralis optimus, qui arenosis locis aut saxosis vivit: duplex eorum genus album & nigrum, utrumque cibum laudabilem exhibet. Sed album præfertur: si *Venetorum* P*aganelli*, sunt *Gobii* ab *Anglis* *Sea Cobs*, vulgo appellati optimi sunt cibi, facilis coctionis & eximii nutrimenti.

Salpa. 2. S*alpa* in plerisque *Europæ* linguis nomen antiquum: obtinet sed Narbonensibus quædam *Salpæ* species appellatur *Virgadelle*. i.e. Virgatula à striis aureis à capite ad caudam in latere ductis, quibus radiat: est igitur pulchella; sed formæ nec mores nec carnes respondent, quippe quòd in cœno ferè versatur *Plinio* dicitur *obscænus*: allis σκατοφάγος.

Carnes ei duræ sunt, insuaves, nec quidem edules, nisi plagis emendentur. Itaque nonnullis videntur Noster S*tock fish*. i. e. pisces stipitis. Sed S*tock fish* sunt asini marini frigore, aut vento siccati, ut supra dictum est. *Gesn.*

2. *Nova-*

3. *Novaculæ* piscis ita à dorso cultellato dicti solus veterum quòd sciam, *Plinius* meminit. Hunc *Rondoletius* scribit à *Gallis* & *Hispanis* dici *Rason*, & esse carne tenera & delicatissimâ, & captum fuisse olim affatim *Rhodi*, ea verò expugnata ad Melitam, quasi cum militibus S^{ti}. *Johannis* una illinc migrassent. Abundant etiam eisdem *Majorca & Minorca*, & forsan aliæ insulæ istorum marium. *Novacula Plinii.*

4. *Mullus* veterum nepotum deliciæ in nostris mensis satis est notus, at minoris quàm olim æstimatus. Carne durâ est, at friabili; sapore perquam jucundâ, ideoque *Romanis* olim adeò placuit, & tanti veneunt, ut magnitudo pretii fidem historiæ labefactaret, nisi magnâ authoritate niteretur; succo est optimo, & omnibus aliis piscibus copiosiùs alit. Sed ejus hepar gulosis imprimis semper placuit, & secundas in mensis post jecur tulit caput, sed neutrum *Galeno* tantæ suavitatis visum est, aut tantam corpori utilitatem afferre, ut magnopere esset concupiscendum. *Apicius Gulæ* magister Mullos in *garo Sociorum* enecare instituit, & ita enectos dixit sapidiores fieri. *Mullus. Quanti olim fuit.*

5. *Scombri* cum per omnia maria affatim capiantur, nusquam maritimorum locorum non cognati sunt. Copiosa eorum piscatura in nostro mari sub æquinoctium vernum exercetur. E *Scombrorum* intestinis in liquamen putrescentibus nobile illud *Sociorum garum* olim confectum est. Quod ex aliis piscibus potuit fieri. Carnes eorum teneræ sunt, & grati saporis, sed excrementiciæ, unde assæ, quam elixæ meliores sunt & proinde *Bellonius* nostrum eorum coquendi morem, qui multa aquâ elixamus, Improbat. Et suos laudat; *Scombri.*

quod

quod eosdem super craticulam assent.

Thrissæ seu Alosæ. *Thrissa major seu Clypea.* 6. Pisces *Græcis thrissas*, & *Aristoteli trichadas*, à capillari ossium exilitate ita appellatos, *Gaza* vertit *Alosas*; forsan quod *Ausonius* è vulgari dialecto eosdem ita dixerat. Hi mari oriundi ineunte vere fluvios macilenti subeunt: & quo altiùs ascendunt eò magis proficiunt. Sed si quando tonet, fragore territi, ad pristinas stationes refugiunt. Cibi sunt viles & (inquit *Ausonius*) *Plebis obsonia*. Nam caro ob ossicula spinarum instar ubique interspersa plus Periculi, quàm voluptatis gulæ affert: alioquin esset innocua, & harengorum carni similis.

Alosa minor. 7. *Alosam minorem Virginis, aut Pulchellæ* nomine (*La Pucelle*) Galli cognoscunt; *Anglicè* dicitur *a Pilchard*.

Quæstuosa earum Piscatura prope Devoniæ & Cornubiæ litora exercetur. Piscis est pinguis, suavis, & boni succi. Salitæ alosæ & vasis idoneis conditæ, & in *Hispanias*, aliasque regiones transvectæ plebeculæ famem depellunt.

Harengi. 8. *Harengus* est thrissarum species Oceano peculiaris.

De nomine antiquo hujus piscis nil certi habemus. *Leucomænides*, qua voce *Cambdenus* noster in *Britanniâ* suâ utitur, sunt *Boces* pisces ab his longè diversi. *Halec & Halecula*, quibus vocibus nonnulli *Harengos* intelligunt, generales sunt, & quoslibet minutos pisces muriâ servatos significant. Non facile dictu quanta eorum examina in nostro mari piscatorum sagenis sese objiciant, quorum pars maxima saliti in exteras regiones divenduntur. Harengus recens pinguis est & sapidus, facilis coctionis, & boni succi.

9. In

9. In magnum Plebeculæ emolumentum ingentem *Sardinarum*, seu *chalcidum* vim circa brumam piscatores nostri everriculis ferè excipiunt, quas eruditi quidam *apuas*; nostrates verò suâ vernacula nominant (*Sprats.*) Hi pisciculi recentes carne sunt sapidâ, tenerâ, nec mali succi, quas qualitates salitæ nonnihil mutant, exinde enim duri sunt, pejoris succi & difficilis coctionis. *Sardinæ. Turn: in ep: ad Gesnerum.*

10. *Mugilum* genus squammosum est: fluviatile & marinum: caro fluviatilium officulis spinosis molesta est, quorum marini sunt penè expertes: Porrò si fluvii aut stagna, in quibus versantur, pigra sunt & cœnosa, *Mugiles* lutarii sunt: carnesque mucosas & excrementicias habent. Sin mari & aquâ puriori vivunt, carne pinguedinis experte, (pinguedo nocet) jucundi saporis, & commodi succi erunt præditæ. Celebrata *Oataricha* vulgo *Botaricho*, sunt *Mugilum* ova multis maris mediterraneis locis condita. *Mugiles.*

11. *Draco* piscis est litoralis, cui sunt spinæ in capite venenatæ: sed carnes saluberrimæ, & gustui gratæ. Est etiam ipse piscis vulneratis præsens, & facilè parabile sui veneni remedium. Nam hepar loco affecto admotum protinus medetur. *Piscis scorpius* carnes salubres, at aculeos venenatos etiam habet, ipse etiam est sui mali remedium. *Draco. Scorpius marin.*

12. *Acus seu belone* rostro rusticulæ avis, colore cutis argenteo & spondylorum viriditate notus est. Sed carnes sapore delicatis non admodum placent, nec succum laudabilem procreant, aut multum nutriunt. *Acus.*

13. *Cuculus* piscis, ut avis cognominis, à voce *Cuculus.*

nomen

nomen habuisse putatur, quam branchiarum attritu edit. Huic uti & *Milvo pisci*, quem *Itali capum marinum* dicunt, caro purissima est, friabilis, & in cibo gratissima: duplex in litore nostro *cuculorum* genus est, quorum, qui *rubri* sunt, nostris dicuntur *Rochets*: quibusdam, *Red Gurnards*.

Hirundo. 14. *Hirundo* pisciculus ita dictus quod volucris aliorum piscium voracitatem fugiens, aerem experitur: carne constat durâ, siccâque, quæ multum nutrit: sed haud facilè concoquitur.

Orbis. 15. Piscis est in mari Britannico frequens, nostratibus, dictus *a Lump.*i.e.*Massa informis.*Et idem est ac *Plinii orbis*, aut ei persimilis. Hic cute, quam admodum crassam habet, exutus, carnes exhibet dulces quidem, sed mucosas, nec boni succi.

Viola marina. 16. Pisciculus, quibusdam à colore unionis *perlanus* dictus, (unio vulgò dicitur perla) *Bellonio*, aliisque *viola marina* ob odoris fragrantiam nominatur. Latinè & Græcè est anonymus; nisi *Aristotelis* φάξιν© sit, *Hist. animalium. lib.* 6. *cap.* 13. *Turnerus*, in Epistolâ ad *Gesnerum Aristotelis* gobionem non alium, atque hunc piscem fuisse putavit.

Auratæ & pisces cognati. 17. Pisci *Auratæ* aureum supercilium nomen fecit, ut ipse piscis olim *Sergio Oratæ*, cui erat præ aliis charus. *Hicesius apud* Athenæum, piscem hunc suavissimum, orique gratum, maximè etiam alere affirmat: at *Cornelius Celsus* in cibis duris & robustis recenset. Piscis est litoralis mari mediterraneo familiaris, sed litorum nostrorum accolæ alium piscem scilicet *Abramidem mari-*

nam

nam a *Gilthead.* i. e. Auratam nominant.

Gesnerus existimat Galios Oceani accolas, & *Anglos* veram auratam, aliosque complures similis figuræ squammosas, & latos communi *Bresmæ marinæ* nomine comprehendere.

Cujusmodi sunt *Sparus*, *Cantharus*, *Sargus*, *melanurus*, *Synodus*. *&c.* *Bellonius.*

CAP. VIII.

Rhombus & alii pisc. plani.

1. QUanti apud veteres fuit *Rhombus* docet gulæ consultorum concio, eo de pisce, *Domitiani* jussu convocata; quam *Juvenalis poeta* *satyra* 4ª. jocose descripsit. Carnes habet candidas, quæ optimum succum, & copiosum præbent nutrimentum, non facile corruptibile, ideoque salubre. Rhombus.

2. *Rhombum*, ut figurâ, ita carnium facultatibus *passer* aliquatenùs imitatur, non omnino assequitur sed tanto propiùs accedit: quanto puriore aquâ degit. *Passer.* *Psetta.*

3. Item *Solea* suavitate, & carnium teneritudine paucis cedit, passerem certe superat. *Inde* succi, & nutrimenti præstantiâ à quibusdam *perdix marina* dici meruit: ut *Rhombus phasianus.* *Solea.* *Buglossus.*

4. *Citharus* è planis est inter Rhombum, & soleam medius: utrumque refert. Citharo caro est tenera, & in cibo laudabilis, sed à *Philotimo* inter *Citharus.*

ter μαλακοσάρκυς non numeratur.

Rhombi fluviatiles. Anglicè Flounders. *Rhomborum fluviatilium* genus salubritatis nomine omnibus ferè mensis perquam gratum est. Nec immeritò; nam omnes bonitatis numeros habet. Sunt enim saporis grati, nutrimenti salutaris; facilis, & promptissimæ concoctionis; in ventriculo minimè morantur; ægris itaque conceduntur, & sanitati perinde atque voluptati conferunt.

Passer marinus Anglis Halybut. Piscis planus passerini generis *Anglis* dictus *Halibut*, Gallis *Fletelet*, mole est prægrandis, carne candidâ, sed durâ & dyspepta, sapidâ verò & esu jucundâ; multi nutrimenti; sed nihil ad *Rhombum*.

CAP. IX.

Genus Cartilagineum.

1. Cartilagineũ pisciũ genus (Græcis selachos dictũ, παρὰ τὸ σέλας ἔχειν nam noctu lucent) in cibos veniunt. Hujus generis sunt *Raja*, *squatina*, *pastinaca*, & *Torpedo*. Horum posteriores à naturâ muniuntur, alter telo venenato; aurâ alter narcoticâ.

Pastinaca.

Capiuntur tamen, & *Pastinacæ* radio spoliatæ carnes præbent molles, jucundas sapore nec concoctu difficiles: mediocriter nutriunt. Alia est *Pastinacæ* species, quam *Bellonius* & alii aquilam marinam dicunt.

Torpedo. 2. Ejusmodi carnes habet *Torpedo*; sed suspectas, itaque in quibusdam civitatibus *Italiæ* præfecti sanitatis authoritate cautum est: nè foro vendatur. In aliis verò vulgò venit, & cibus est plebejus.

Raja. 3. *Raja* (Græcis Βάτος, quia spinas in caudâ & tergo eis similes, quæ rubo nascuntur habet: nostris

nostris etiam; *a Thorneback.* i.e. tergum spinosum) piscis est notissimus.

4. Qui; ut etiam *Squatina* (*Græcè* Ρίνη quòd fabris lignariis limæ vicem præstat) carnes habet duriusculas, carne torpedinis, aut pastinacæ concoctu difficiliores: sed copiosiùs nutriunt. *Rajæ Brasiliensis Narinari* dictæ ea est moles; ut caro unius 40. homines commodè saturet. Est & alia rajarum species isti genti *Ajereba* nominata, cujus caro injucundi saporis est; itaque vili æstimatur. *Jaberete* meliùs sapit, & in pretio est. *Geo: Margravius.* *Squatina.*

Rajæ caro quibusdam veneris incentiva ultra conchas creditur: nec mirum, si *Cartilaginea* omnia (ut *Diphilus apud Athenæum* asserit, flatus gignunt. Nimio etiam eorum usu acies oculorum hebetetur: nam flatibus, & crassis humoribus, quos efficiunt, spiritus etiam opticos offendunt. *Sepia. Loligo.*

5. *Sepia*, *Loligo*, & *polypus* sunt ex *Malacodermis* i.e. Molli cute præditis; & fugâ periculi, quàm carnium utilitate notiores. Hic enim assumpto rei, cui insidet, colore piscatornm fuscinas vitat. Illæ alteræ, quoties libet, aquam naturali atramento obscurando hostes suos latent, & prædæ simul insidiantur.

Carnes horum piscium ob duritiem & succi viscidi pravitatem parvi æstimantur, nisi quòd Polypodis caput jucundè sapiat. Cæterum somnia parit tristia & prodigiosa. *Plutarchus.* *Polypodis esus.*

Unde *polypodis esus*, eis, quorum erat futura ex insomniis præscire, interdictus est. *Idem in Symposiacis* veneris impotentes polypodas edere præcipit. *Aëtius.*

Multas piſcium ſpecies alit Oceanus in noſtro litore inſolentes, aut prorſus ignotas, quibus, niſi naturâ probè intellectâ, haud tutò creditur.

Nam *Belgæ* quidam prope inſulam *Margaritam* dictam in piſcem inciderunt; cujus caro à viginti viris comeſta omnes in morbum conjecit; à quo tamen tandem convaluerunt. *Margravius.* Novi item nautas, qui piſce ignoto propè *Caribanæ* litora comeſto diu ægroti, capillorum & cuticulæ damno temeritatis pœnas luerunt. Sed non temeraria eſt conjectura: tales piſces non ſuapte naturâ venenatos: ſed quòd malis venenoſis, *Manchonellis*, quæ plurima in iſtis litoribus naſcuntur, veſcerentur. Eſt tamen piſcis, in iſto mari nonnunquam captus, qui comeſtus perinde inebriat, ac vinum, & largiùs ingeſtus narcoſin lethalem, ut nimium opium inducit. *J. Bapt. Tertreus Hiſt: Antillarum.*

CAP. X.

Piſces fluviatiles & lacuſtres.

Salmones. 1. S*Almones* recentes & tempeſtivè capti ob carnium ſuavitatem in pretio ſunt, & ſummis deliciis: niſi ubi copia faſtidium parit.

Hi piſces mari oriundi verno tempore fluvios ſubeunt,

subeunt, & aquâ dulci delectati fontes versus tendentes capiuntur: quo tempore carnes eorum rubescunt, dulces sunt, & boni succi, siqui verò sagenas & fuscinas elapsi in rivis morantur, eis in maxilla inferiori apophysis quædam curva adnascitur: quâ obortâ sub hyemem piscis ipse languet, carnesque pallent, fiuntque esui penè inutiles. *Lampetra* hunc piscem non minùs vexat quàm *thynnos Asilus*.

2. Proximè *salmones* figurâ & carnium suavitate aliisque qualitatibus sunt *truttæ*. Illi etiam rivis dulcibus, & puris gaudent. Sunt etiam *truttæ palustres*, & horum cognatos censeo *Laveretum Allobrogum*, *Besulam*, & *Charrum Winnanderæ* maximo *Angliæ* lacui peculiarem: horum illi salubritate præcellunt, quorum carnes pinguedinis expertes & maximè friabiles. *Truttæ.*

3. In quibusdam *Angliæ* fluviis nascitur piscis à truttarum formâ haud multum abludens quem nostrates nominant *a Grayling*, & *Germani Een Asch* à colore cinereo, & forsan est *Italorum Thymalus* aut ad eum propè accedit, carnes hujus piscis suaves sunt, teneræ, friabiles, optimi succi & mediocriter nutriunt. *Umbra.*

4. *Salar Ausonii* in Mosellæ descriptione memoratus aut trutta noster, aut ei perquam similis videtur quod poetæ versiculus ratum facit. *Salar.*

Purpureisque salar stellatus tergora guttis.

5. Est & alia *truttæ* species nostrâ vernaculâ *a Salmon pele*. Quasi è Salmonum tribu esset, quibus quidem minor est, at carnium salubritate & sapore præcellit. *Salmonetta.*

Et piscis nonnullis *salmunculus* dictus à Salmo-

ne specie differt, *truttis* propior & utrumque saporis elegantiâ superat.

Thymalus. 6. *Thymalus* piscis eximiæ bonitatis à thymo, quem redolere videtur nomen sortitur, *Ticino & Athesi Insubriæ* fluviis maximè familiaris, sed etiam in multis aliis inventus, hoc pisce omnibus ferè sensibus natura placere instituit. Quippe jucundè olet, optimè sapit, & speciosâ formâ cum nitore oculos pascit. *Flos* igitur *à Divo Ambrosio in lib. Hexaemero* aptâ metaphora dicitur.

Carnes præstat friabiles, optimi succi, modice nutrit, proinde inter deliciarum saluberrimas meritò numeratur. *Gesn.*

Carpio Benaci. 7. *Carpio* piscis *Benaci Lacûs* celebris alumnus est à Cyprinis, quos quidam Carpiones putant, diversissimus, & truttacei potius generis, estque aut cognatus, aut idem, ac *Charrus noster.* *Charr.* Lexicographi nostri *Charrum* Latinè vertunt *Aurisequam*, & inter istiusmodi pisces numerat Carpionem *Gesnerus.* Carne est durâ siccâque minimè viscosâ, rubescente. *Rondoletius.*

Cyprini. 8. *Cyprinus* vulgò *carpa* piscis est *Lacustris, & fluviatilis* notior, quàm, ut descriptione egeat: A nostris piscinis, aut lacubus magnis alitur; eòque crescit, ut in *Allobrogum* lacubus plusquàm bipedalis aliquando visatur. Ingentes *Asiæ* fluvii eis abundare feruntur. Itaque illic fit ex eorum ovis *caviara rubra.* Sunt qui credunt hoc piscium genus sponte naturæ oriri: & *Rondoletius* affirmat: se cyprinos in montium Lacunis aquâ tantùm Cælesti repletis generatos vidisse. Carnes cyprinæ sunt molles, humidæ, & succi nimis excrementicii: magnatibus tamen ob saporem

rem expetuntur. Sanguine præ multis aliis piscibus abundat.

Substantia carnosa, quam vice linguæ habet, sed palato non faucibus adhærentem, ganeonibus in deliciis est.

Lapillus triangularis in capite inventus colicis & epilepticis est proficuus.

9. Aliud piscium genus, (quos *cyprinos latos* plerique nominant; sed vulgo *Bramas*,) fluvios pigros & penè stagnantes colit. Compresso corpore est, & latiore multò quàm alter Cyprinus; at carnium facultatibus ab eo haud multum differt. Carnes enim præbet molles, pingues; at excrementicias, magisque suaves, quam salubres, medicorum judicio. *Cyprini Lati sive Bramæ.*

10. Ad hoc Cyprinorum genus forsan commodè referas piscem quendam *Charwellæ* fluvio *Oxoniam* præterlabenti peculiarem, accolis dictum *a Finscale*, quem *D. Rob. Plot.* sollers naturæ indagator observârat, & mihi descripsit. Erythrocyprinum dicas, sed suspicor *Balerum Rondoletii* esse. *Erythro cyprinus.*

11. *Tinca*, (nonnullis *merula fluviatilis*) stagnis cœnosis, & pigris lacubus ferè alitur. Cyprinos, aliosque quosdam pisces, qui consimiliter degunt, carnoso palaco imitatur; Colore autem est cum paucis Communi; nam è viridi flavescit. Caro tincæ non adeò insuavis est: quin à quibusdam non indocti palati saporis gratiâ expetenda videatur. Ob succum autem, quem præbet, illaudabilem, nimisque excrementicium, & obstructiones, quas parere creditur, a medicis damnatur. Quò puriori aquâ *tinca* victitat, eò melioris notæ est. *Tinca.*

Lucius. 12. *Lucius* fluvios, stagna, & paludes colit, piscis voracissimus, in suum genus desæviens, ubique notus. Nemo ante *Ausonium tincæ*, aut *Lucii*, quasi non extitissent, meminit, forsan neglectui erant apud veteres, quod palustres: voces erant vulgares; eis tamen vir eruditus uti maluit: quam apud vulgus esse obscurus. Eidem hic piscis vili æstimatus est: at nostris delicatioribus inter mensarum lautitias non immeritò habetur. Nam carnes exhibet laudabiles, suaves, puras, & optimi succi; modice etiam nutrit. Mandibulæ *Lucii* medicinales sunt, & ossiculum in capite cuneiforme.

Barbus. 13. *Barbus* etiam *Ausonio* suum nomen vulgare acceptum ferre debet. *Græcè* dicitur Μύζος. Qui minores hujus generis suis mensis dignantur, gulæ suæ sapienter obsonari non videntur, tot enim spinæ carni interspersæ gutturi minantur, ut esuro opus sit nuncupare testamentum. Ætate verò proficientes & grandiores factos à viris eruditæ gulæ laudatos audivi. Caro enim ossiculis demptis, candida est, levis, concoctu facilis. Boni quidem at pauci alimenti.

Barbi ova cathartica. Ab eorum ovis abstinendum, quibus non opus est vehementi cathartico. Quippe sursum & deorsum violenter purgant.

Perca fluviatilis. 14. *Percam fluviatilem* mensarum delicias dixit *Ausonius*; nec injuriâ. Quippe carnis candidæ & purissimæ ea est friabilitas & in ventriculo summa levitas, cum succi bonitate, ut quibuslibet ejus esum medici indulgere non dubitent. *Cyprini, tincæ & percæ lapides* in usum medicum è capitibus præbent.

Nasones. 15. Pisces à naso simo & crasso *nasones* dicti in

in *Germaniæ* amnibus frequentes ſunt, non peculiares, ſed alibi capti in familiam *Capitonum*, quibus ſimiles ſunt, fere aſcribuntur. Nonnulli *Barbis* potiùs comparant, alii Leuciſcis: peritonæum hujus piſcis eſt nigerrimum: ſed carnes albæ, molles, laxæ & pene inſipidæ: itaque aſſæ magis quàm elixæ placent.

10. *Cephali* etiàm, aut (quod magis Latinè) *capitonis* carnes præ ſpinis plus moleſtiæ, quàm voluptatis edentibus præbent, alioqui ſalubres ſunt, ſed parciùs alunt; cibus eſt levis & exigui nutrimenti. *Cephali.*

17. *Leuciſcus Bellonii aphya* eſt fluviatilis, quam populares noſtri nominant, *a Dace*, hic piſcis à capitone, colore argenteo, & capitis magnitudine differt, cætera fere ſimilis; cibus eſt levis, candidus, citò decoctus, & inde ortum eſt adagium *Aphya vidit ignem.* *Leuciſcus.*

18. *Rubellius, & Auſonii alburnus* cibi ſunt vulgares, ſed tuti: quippe vacant materia pingui, quæ ſtomachum laxet, aut ſanguinem inflammet, tartareâ quoque, aut viſcidâ ſunt immunes quæ viſcerum poros obſtruat. *Rubellius & alburnus.*

19. Idem fere de *gobiis Fluviatilibus* dicendum, quos ob alimenti puritatem à febri convaleſcentes medicorum permiſſu tutò edunt. Quod tamen *Geſnerus* improbat. Quod *Galenus* qui idem permiſit, de *gobiis marinis* intellexit. *Gobii fluviatiles.*

20. *Gobius capitatus* à noſtratibus rariùs eſtur, quanquam carne gaudent molli, ſuavi & minimè ſpernendâ. *Gobius capitatus.*

21. *Gobites* piſciculus eſt *Anglis* & *Gallis* dictus *Loche*, qui rivulis puris & limpidis delectatus *Gobites.*

tus adeo mundus eſt, ut in cyatho vini generoſi commode vivus hauriatur: quod in multis locis uſu venit.

Cernuæ ſive Porculi. 22. Piſciculum quendam pleriſque *Anglis* notum multi nullâ veterum authoritate, ſed quâdam formæ ſimilitudine inducti *porculum* appellant. Eundem nonnulli noſtratium dicunt, *a Pope*; Saxones verò *Germaniæ*, *Een Bapſt*. quæ voces Papam denotant, ſed quapropter ita dicatur, nequeo adhuc indagare. Hic piſcis ſub aſpera & viſcoſa cute carnes gratas habet, & ſalubres, quæ carnibus percarum virtutibus non cedunt. *Capriſcus* quem Siculi & Narbonenſes *porcum* appellant alius eſt piſcis.

Phoxini fluviatiles. 23. Fluvii plerique piſciculis abundant, quos *Angli menows*; *Galli Verons* nominant: & ni fallor, ſunt minus *Phoxinorum* genus, hos utcunque parvulos ovis gravidos *vere* invenimus, & frixos edimus: cibus vilis eſt at ſalubris.

Centriſci. 24. Piſciculus à *Theophraſto centriſcus* dictus omnium minimus eſt; & ſponte naturæ genitus à noſtris ob ſpinarum tædium rejicitur. Ab *Italis* verò *Naris* accolis, ubi abundant, in cibum coquuntur; præſertim menſibus *Aprili* & *Majo*, ubi ovis turgent. *Rondeletius*. Cibus eſt non inſuavis, & ſalubris, at perpauci nutrimenti.

CAP.

CAP. XI.

Pisces squammis carentes.

1. ANguillarum variæ species suut: quas *Aristoteles* univocà generatione procreari negat: traditque *Plinius lib.* 29. *cap.* 3. strigmenta *Anguillarum* atterentium se scopulis viviscere: nec aliam earum esse procreationem. Sed præ experientiâ nihil est alia autoritas. *D. D. Charleton* anatomico experimento viviparas invenit. Undecunque natæ sunt, carnes dulces præbent. Meliores quidem reliquis eas dicimus; quæ ventrem & latera habent colore argenteo splendentia; nasum acutiorem, nec sunt carnivoræ. Meliores autem tantùm gustu tenus. Omnes enim *Anguillæ* succum pravum generant. Esusque earum stomachicis, lithiasi, & Arthritide laborantibus nocet, & in feminis catamenia retardat. A capite horum piscium nonnulli abstinent; insalubre arbitrantes. Qui liquorem, in quo *Anguillæ* suffocatæ sunt, biberit, fiet abstemius. *Mizaldus*. *Anguillæ*.

2. *Murenæ, seu mustelæ fluviatilis*, vulgo *Lampetræ* est duplex species. Major in maximis deliciis est tempestivè capta, & aromatis ritè condita. (Ratio condiendi infra, ubi de muriaticis agitur, dicetur.) Hic piscis, si *Galeus* sit (ut *Paul. Jovius* censet) in veterum mensis tantùm non primas tenuit. Sed haud ita sanitati conducit, ut gulæ sapore blanditur. Itaque à me- *Lampetræ*.

medicis ob crudum lentorem, & alia vitia *Arthriticis* & nervorum vitiis laborantibus interdicitur.

Mustela, seu *Lampetra minor* in cibo majoris vitia participat, saporis præstantiam non assequitur.

Sed quod in horum aliorumve ejusmodi esu peccatur, vino generoso moderatè hausto corrigendum est.

Lota vel Barbota. 3. *Lota à Barbotâ* parùm distat utraque lacubus, aut fluviis pigris, putà *Arari*, aliisve ejusmodi minime concitis delectantur. Cute *Anguillas* referunt; sunt enim læves, & lubricæ: è mento cirrus instar *Arunci* dependet: color *Dorso*, & lateribus fulvus, ventri ferè albus. Hepar pro piscis magnitudine grande, & simul delicatum.

Caro *Lotæ Lugduni* in pretio, & deliciis est. At *Barbota* apud nos doctis palatis non magno æstimatur, quia ferè cœnum, in quo versatur, nimis olet, & sapit, nec cibum præter jecur, purum præbet.

Ab ovis horum piscium, non secus, atque à barbi ovis abstinendum. Nam ventriculum, & alvum istis similiter turbant, & choleram cient.

Hic piscis, si 12. ætatis excesserit annos in vastitatem maximam crescit, & vocatur *solaris* (potius *silurus*) *Gesn. ex Isidoro* citat sed haud credit.

Anguilla arenaria. 4. Litora Britannica piscem ad *Anguillæ* formam accedentem, passim habent. Qui cùm ammodytes sit, arenam recedente mari sponte subiens, à piscatoribus inde fuscinis eruitur: hic piscis locupletum palatis non admodum placet. Cæterum tenuiorum necessitatibus copiosa captu-

rà

rà commodè succurrit, & licet φᾶυλ☉ ab *Aristotele* dicatur, non est injucundi saporis: ut *G. Turnerus in Epist. ad Gesnerum* testatur.

5. In *Sabrinam celebrem Angliæ* fluvium è mari Hibernico immensa *anguillarū* aut congrorum minutulorum examina quotannis ascendunt; quos accolæ, reticulis idoneis exceptos, & coctos in formas premunt, massæque instar palatharum confectæ, & cum aceto, aut sinapi comestæ gustui gratæ sunt; sed difficiles concoctu. *Congrorum minutulorum examina Anglis Elsare.*

6. Natura, nè ullâ sui parte non occurrerent miracula, non modò pisces quosdam in aere, quoties libet, volitare instituit, sed & alios talparum more subter terram profundè degere voluit. *Theophrastus* aliique graves authores prodiderunt, hoc in *Heraclea circa Lycum* fluvium contingere: dicuntur etiam in *Paphlagoniâ* effodi pisces cibi gratissimi, terreni, in locis ubi nullæ restagnârunt aquæ: tales *Theophrasto* sponte nasci videntur, & jugiter; siquidem coire nequeant atque semina, & principia generationis eò non possint deferri, quo aquæ nunquam perveniunt. Sed aliud magis mirandum subest: unde in suo loco, ut terræ tubera, immobiles detenti, nutrimentum, quo crescunt, habeant. Centriscos & anguillas aliqui volunt sponte oriri, at post soluti, & sui juris facti victum quærunt; isti loco non moventur. Res quæ forsan non existat, causam non quæram: sunt certiora quæ sequuntur. *De piscib. fossilibus Plin. terrenis.*

Geo. Agricola in libro de animalibus subterraneis à Con. Gesnero citatus duplicis piscium fossilium generis meminit & descripsit, qui è fluminibus egressi per riparum venas longiùs in terram

ram penetrant, & sæpe in cellas vinarias, aliave *Hypogæa* pergunt, sunt ferè longitudine palmi, crassitudine digiti, & aliquando majores, Dorsum habent cinereum, nigris & cæruleis punctis maculatum, ventrem flavum cum maculis albis punctisque rubris, & nigris, ita parvis, ac si acu-pictæ essent, cirri ab ore pendent, quos nando extendunt, à nonnullis eruditis *mustelæ fossiles* dicuntur, earum certè maximè similes, (excepto colore) videntur. In quibusdam *Misniæ* locis trans *Albim* copiose effodiuntur, & licèt carne durâ sint & insuavi, tenuis plebeculæ mensis apponi solent. Ab agyrtis popello vitris inclusi pro serpentibus ostentantur. Serpentes imposturæ ignarus putares idem.

Mustellarum fossilium descriptio.

CAP. XII.

De piscibus crustatis.

1. PIsces *crustis loricati* carnes ferè habent gustui gratas, sed duriusculas, multum salsi continentes, nec sunt concoctu faciles. Varia eorum sunt genera è quibus *locusta marina* (nostris icthyopolis satis ineptè *a long Oister*, forsan quòd *Massiliensibus* & *Hispanis langouste* & *Genuensibus alagoste* dicitur) Cancer carnes præbet reliquis substantiâ molliores.

Locusta.

2. Sed nostratibus *Astacus* præ aliis in pretio est ob succum gratè salsum, quo Bacchi & forsan Veneris desiderium excitat.

Astacus.

3. Can-

3. *Cancri fluviatiles Astacis* figurâ proximè accedunt, sed sapore minùs salsi sunt, & multum minores. Horum & carnes, & succus expressus, quia refrigerant, & humectant, tabidis & hecticis prosunt. *Squillæ, paguri*, aliique *crustacei*, ab his qualitatibus parùm discrepant. Nulli *crustacei*, prurigine, aliâve psorâ laborantibus, uti nec salsamenta conveniunt. Mirum est, quod de hujusmodi piscibus observatur. *Cancri.* *Squillæ & paguri.*

In Oceani regionibus *Europæis* circa plenilunium vigent carne, & succo turgidi: deinde deficiente lumine ad interlunium unà decrescunt. E contrà in mari *Indico* lunâ silente, & tempore intermestri succi pleni sunt; sed lunâ plenè illustrata languent penè inanes. Hoc literis prodidit *Lincostenus* & *Philibertus Vernallius Præses Bataviæ Javensis* in responsis ad quæstiones *Regalis* curiosorum *Societatis Londinensis* idem confirmavit.

In eodem mari prope vada dicta *Baixos de India* sunt cancri admirandæ magnitudinis, hominibus infesti: quos chelis apprehensos nonnunquam submergere aut discerpere feruntur. *Astacorum* fluviatilium in *Poloniæ* fluviis, *Silesiæ* vicinis, ea est copia: ut *Philippus Jac. Sachs in gammarologiâ* testatus sit: se currum eorum lapillis, plene onustum *Vratislaviam* allatum vidisse. Quod nisi idoneum nactus essem testem, vererer ut crederes.

CAP.

CAP. XIII.

De Testaceis.

1. Testis *intecti*, ὀστρακόδερμοι sive simplici, alterâ ex parte patulâ, sive duplici bifidâ muriam innatam in se continent, quâ fere placent: alvum movent, & venerem stimulant. Igitur non de nihilo *Venerem* mari ortam veteres μυθολογοῦσι.

Ostrea. 2. *Ostrea* aliis hujus generis ob saporis excellentiam in pretio & usu solent anteferri. Sed & illa pro regione maris, quo nascuntur, magnitudine, colore, & sapore non parùm differunt. In quibusdam *Indiæ* litoribus visuntur immensa: in *Europæis* omnia mediocria. In mari *Hispanico* inveniuntur rubentia, & alibi carne & testâ nigra. *Romani* olim saporem optimum *Lucrinis* adjudicarunt. Nonnulli *Circæis*; *&* *Strabo* *Cumana* laudat, sed nondùm *Romanæ* luxuriæ inserviebant Britannica littora. Ex illo enim ostrea inde desumpta palmam aliis præripiebant. Et hodie primæ notæ sunt ostrea ad litora *Angliæ* tempestivè capta; præsertim, quibus testa est tenuis, & lævis, & limbus intus subviridis, quæque vivariis aliquandiu aluntur. Carnes omnium mollissimas è testaceis habent. Ostrea & sæpius apud nos cruda, quàm cocta eduntur: alvum subducunt, sed corpus imbecilliùs alunt. Scorbuticis, & arthriticis eorum esus à medicis neotericis commendatur. Cæteræ conchæ durioris sunt carnis, at

at firmioris nutrimenti: cujuſmodi ſunt *Pectines*, *pectunculi*, *Echini*, *tellinæ*, *Lepades*, *Otia*, *ſtrombi*, *mytuli &c.* *Pectines &c.*

3. *Pectines* à ſe invicem multùm diſcrepant. *Athenæus lib.* 3. Τῶν κτενῶν ἁπαλώτεροί εἰσιν οἱ λευκοί· τῶν δὲ μελάνων καὶ πυῤῥῶν οἱ μείζονες εὔστομοι. Pectinum illi teneriores, qui albi ſunt; ex nigris, & rubris guſtatu gratiores ſunt, qui majores. Caro pectinum eſt ſuavis, & ſatis tenera, facilè concoquitur & non parcè nutrit. Venerem irritat: adnaſcitur carni materia ovorum luteum colore referens, quæ carni edendæ condimento eſt. *Pectines.*

4. *Pectunculi* ſunt pectines parvi, ſui generis, ſatis noti; carne ſubalbidà conſtantes guſtui ſatis gratâ. *Rondoletius* cenſet plurimos, inter *Burdegalenſes*, & *Xantones* calculo laborare; quòd his, & oſtreis ſalſi ſucci frequentèr, & copioſè veſcantur. Sed *Rondoletio* conſtat eoſdem in cibo veſicam vi deterſivà purgare, quod *Plinius* affirmat. *Pectunculi.*

5. *Echinorum* genera diverſa ſunt; ſed non omnia edulia. Imo *Ariſtoteles* unicum eſculentum eſſe. *De hiſtor. Animal. lib.* 4°. affirmat. Ἓν ἐχίνων γένος ἐσθιόμενον, τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἐν ᾧ τὰ καλούμενα ᾠὰ τὰ μεγάλα γίνεται. *Echini.*

6. *Lepades* de ſaxis ægrè avulſæ à piſcatoribus crudæ eduntur: coctæ guſtui placent, nec admodùm duræ ſunt, niſi plus nimio coquantur. *Lepades.*

7. *Otia Veneris auriculæ marinæ*, ſimiliter ſaxis adhærent: intus unionum colore teſtæ ſplendent: ſed ingratè ſapiunt carnes, & ægrè concoquuntur; at multum nutriunt. *Otia.*

8. *Pinnæ erectæ* in locis cœnoſis, & arenoſis naſcuntur byſſino vinculo detentæ. In Oceano rarò, in ſinu *Adriatico* frequenter occurrunt. *Pinnæ* *Ang.* Sea nacre.

Carnes

Carnes earum haud facilè distribuuntur; urinam verò cient.

Buccinæ, murices & purpura. 9. *Buccinæ, muricis, & purpuræ* carnes à *Scribonio Largo*, quod corroborant stomachum, laudantur: & murices à *Corn: Celso* inter cibos εὐστομάχους numerantur. De quibus *Martialis.*

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Et hæc animalia lunæ imperio ita obsequuntur ut pro ejus phasibus mutationes subeant. Secundum illud poetæ ---*Implent Conchylia Lunam.*

10. Multi alii sunt ostracodermi; quibus omnibus inest succus salsus, (inquit *Galenus*) qui ventrem solvit. *Ostrea, pelorides, echini, musculi & omnes fere conchulæ alvum movent; Celsus. lib.* 2.

Mytuli. 11. *Mytulorum, seu musculorum* genus marinum est duplex. Majores, qui nonnullis tantùm mytuli dicuntur, minoribus, id est musculis saporis bonitate multùm cedunt.

De istis sub *Catii* personâ ait poeta.

Si dura morabitur alvus
Mytulus & viles pellent obstantia conchæ.

12. Est adhuc mytuli genus; quod in dulcibus tantùm aquis natum amplis valvis pinnarum instar hiat: à quo abstinendum. Sunt enim (inquit *Rondoletius*) carne durâ, concoctu difficiles, quo fit: ut, qui eis copiosiùs vescuntur, in febres incidant.

Conchæ veneris. 13. *Conchæ veneris, seu porcellanæ* patinas potiùs quàm cibos præbent: ex istis & ovorum testis formantur Sinensium vasa, inde dicta *Porcellana*

Æthi-

Æthiopes & gentes quædam *Americanæ.* Conchis Veneris vice nummi utuntur, non minùs earum copiâ, quam nostri suo auro superbientes. Carnes earum Veneris desiderium, & urinam cient.

CAP. XIV.

De Piscium ovis.

1. E Piscibus *Cete*, & alii quidam pariunt animalia; cæteri ova: quibus ovis aut lactibus, si mares sint, prægnantes in cibis maximè probantur. Quædam tamen eorum ova minimè esculenta sunt. *Barbi* enim, *Mustelæ lacustris*, Barbotæ seu *Lotæ* choleram periculosam & diarrhœam, comesta cient (ut supra notavimus) & Lucii ova apud nonnullos idem audiunt. Sed *Mugilum*, *Husonum*, *Sturionum*, *Attili*, *oxyrrhynchi*, *Cyprinorum* ova salita in pretio sunt, & magni usus, ut infra dicetur.

CAP. XV.

De Salſamentis.

De piſcibus qui crudi ſaliuntur.

1. QUædam condiendi rationes in Luxum fuerunt inventæ: in aliis verò utilitas tantum quæſita eſt; nimirum, ut piſces diu aſſervarentur; & ut populi à litore diſſiti beneficio maris aliquatenus fruerentur.

Cetacea.

2. Piſcium *cetaceorum* ſegmenta, at imprimis *Thynnorum*, ubi copioſa eorum captura eſt, cruda ſaliuntur, & inde *Omotarichus*, & *cetema* dicuntur. His affines, aut congeneres videntur *Pelamydes*, *orcyni*, & *Pelamys Sarda*. Hiſpanis nunc dicta *Biza*, aut *pigo*.

Cordylæ & auxides ſunt *Thynnorum* fætus, qui omnes ſimilitèr condiuntur, ſed cæteris hujuſmodi ſalſamentis pelamydas *Galenus* prætulit. *Xiphias* eodem modo tractatur, & cum *Thynnis* in vicinas regiones divenditur. Ad nos, qui *Aſellis* abundamus, rarò defertur, iſtud eſſet *ululas Athenas* mittere.

Aſelli.

3. In multis Oceani tractibus ſeptentrionem verſus uberrima eſt *Aſellorum*, piſciumque congenerum piſcatura. Quos eviſceratos, dempto capite (quod conditura ineptum eſt, alioqui delicatum) ſaliunt, &, noſtris ſaturatis, in exteras gentes diſtrahunt.

Salmones.

4. *Salmones* ubi præ copiâ viles ſunt, eandem conditurам ſubeunt; ſed exinde priſtinam nobilitatem amittunt.

5. *Paulus*

5. *Paulus Jovius in Cap: de Salsamentis* autumat: palmam saporis *carpionibus è Benaco* lacu salitis deberi. *Lancastrienses Angli suas Charras* eorum similes, quæque cum istis de nobilitate contendant, salitas servant. *Carpiones.*

6. In his restim ducunt *Sturiones*, quorum segmenta in aquâ, vino *Rhenano*, & aceto cum aromatis cocta, & aliquandiu muriâ condita & ritè servata apud nos delicatorum palatis imprimis arrident: concoctu non facilia, sed satis nutriunt. *De coctis & muriâ asservatis. Sturion. segmenta.*

7. Piscis *Hispanis* dictus *Manatus*, *Delphinus* aliaque *Cete* eodem ritu condiri possunt: at ita condita consimilem bonitatem minimè assequuntur. *Manati segmenta.*

8. *Harengi*, & *Alosæ* minores muriâ inveterati è nostris litoribus mercatori quæstui sunt; & Gentibus nonnullis grato cibo; sed sine coctione servantur. *Harengi. i. e. leucomænides.*

9 *Anguillæ* hujusmodi conditurâ aliquid humoris excrementicii deponunt, sed saporem non simul emendant. *Anguillæ salitæ.*

10. Sed *murana fluviatilis*, *vulgo Lampetra major*, ut oportet, condita omnes omnium, quos nepotes adhuc è piscibus excogitarunt, ciborum sapores, superare quibusdam videtur. De ejus conditura gulæ artifices præcipiunt: ut vino dulci immersa enecetur: quodque ori enectæ inferatur nux myristica, & singulis utrinque foraminum Caryophyllus dein in aquâ, & vino coquatur, & jusculo, aromatis, vino, & sale, condito asservetur, apud nos sale, pipere aliisve aromatis inspersis, pastillo, aut ollæ clausæ imposita furno coquitur. *Gedani* salitæ doliis includuntur; *Hamburgi* infumantur. *Lampetra.*

Hepseti. Athenæus lib. 7.

11. *Hepseti* dicuntur quædam exiguorum pisciculorum species παρὰ τὸ ἕψειν. i.e. à coquendo, quod propter parvitatē plurimi simul coquantur, quales sunt, *Encrasicholi, Jopes atherinæ, gobiones, parvi mulli,* aliiq; id genus: & hi pisciculi muriâ servati à veteribus *halecula* appellari videntur.

Haleces infumati.

12. Quædam piscium genera fumo suspensa commode in usum diu servantur, & præ aliis apud nostros *Harengi, Alosæ* & *Chalcides* istiusmodi præparationis patientes sunt,

Pisc. plani siccati.

13. Accolæ maris *Balthici* pisces cartilagineos & planos cujusmodi sunt *rajæ, squatinæ, Passeres, soleæ, rhombi,* aliive, aere siccant.

Pisces frigore indurati.

14. Quædam etiam *Asellorum* genera frigore indurant. Hos nominant, *Stockfish,* Stock stipitem significat, credo quòd in stipite malleo emolliuntur, aut quòd stipite sunt aridiores. Illos verò nominant *Buckhorne* quod *Anglis* Platycerotis *cornu*; Belgis vero *capri* denotat. Quod duritie ferè æquant. Pisces his artificiis parati humiditatem excrementiciam amittunt: sed duri, & coctionis difficilis, & pauci fere alimenti fiunt. *Accolæ sinûs Arabici* pisces solis ardoribus expositos siccant & in usus servant.

Salsamentorum vires.

15. *Salsamenta* omnimoda sanguinem inflammant, bilem augent, psorâ & stranguriâ laborantibus obsunt, stomacho pituitoso medentur, libidinem etiam in silicerniis proritant.

CAP.

CAP. XVI.

De Gulæ irritamentis è piscibus aut eorum partibus.

1. IN Mari *Ligustico*, & ejus viciniâ passim capiuntur pisciculi: quos quidam ad cobitidas aut apuas referunt, alii *aleculas* dicendas putant. Sunt autem *encrasicholi*, ab *Æliano* ob vastum oris hiatum dicti *Lycostomi.* *Encrasicholi.*

Hi sale, & origano nonnunquam conditi in multas regiones distrahuntur. Mihi videntur pisces sui generis: etsi sardinis sint similes & *Tho: Muffetus* in libello *Anglico de victu* non dubitavit asserere; nostras *chalcidas majores* eodem ritu conditas encrasicholis præstare: seque id probatum vidisse.

Et forsan *Altarich Arabum* non aliud erat, quod *Andreas Bellunensis in Avicennam* testatur, non fuisse *Oataricha*, sed pisciculos prope urbem *Achalat* captos: quos salitos in exteras regiones exportabant. Et aliquid ejusmodi credo ejusdem *Sabune* fuisse. *Encrasicholi* in garum liquati aliorum piscium condimento sunt: Integri comesti languentem cibi & Veneris appetitum excitant. *Altarich. Arabum.*

2. Illecebras Gulæ, *ostreis* rite muriâ conditis magis elegantes, popina vix habet. Siquidem in ore & stomacho jucunda sunt: fastidiis ventriculi & cruditatibus opitulantur: cibi itidem appetentiam faciunt, & Veneris. Nostri *majus ostreorum genus* condiunt: quibus testa scabra est, & lata instar ungulæ equinæ. Diversa tamen sunt ab *Ostrea & pectines muriâ condita.*

istis, quæ *Bellonius* cum Hodiernis Græcis *Gaideropodas.* i. e. pedes asininos nominant. Ea saxis adnascuntur, & sunt *veterum spondyli.* Porro *pectinum* carnes muriâ aromatis conditâ inveteratæ idem cum ostreis penè præstant.

Oataricha. Quid sint. 3. *Oataricha*, non levia gulæ, & Veneris irritamenta, sunt piscium quorundam ova in crapulæ lenocinum condita. Notissima sunt *mugilum ova*, quæ salita, & sole siccata in usum ita servantur, & nomen Græcum sed fædè depravatum retinentia *Botaricho* vulgò dicuntur. Lupi quoque piscis *Oataricha* sunt gratissima.

Caviara. nigra. 4. Istud autem, quod *Italis caviara* appellatur ferè fit ex ovis *Husonum* sale inveteratis: sunt autem *Husones* pisces ingentes *Ponto*, mari *Caspio*, fluviisque in illa confluentibus familiares: è quibus etiam fit ichthyocolla. Sed & ova *Sturionis*, *Attili*, *Siluri*, *Oxyrrhynchi* piscium istis affinium consimiliter parata usui eidem inserviunt.

Rubra unde. In *Judæorum* gratiam, qui de piscibus nisi squammatis nolunt vesci, è cyprinis confit *caviara rubra*, quæ ferè à *Caphâ*, (unde forsan *caviaræ* nomen) *Tauricæ Chersonesi* emporio, olim Genuensium, nunc *Turcicæ* ditionis, *Constantinopolin* affertur. *Tanais*, aliique *Tartariæ* fluvii cyprinis ingentibus abundare dicuntur. *Bellonius.* *Bellon.*
Encrasicholi liquati, & *Oataricha garo sociorum* apud veteres tantopere celebrato successisse videntur.

Garum sociorum quid sit. 5. *Garum illud sociorum* è sanguine & intestinis scombrorum confectum est, ut *Martialis in Xeniis*.

Ex-

Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe fæcoſum, munera prima, garum.

Hujuſce liquaminis certo ſalis condimentarii genere parati quædam ſpecies eò pretii venerat; ut nullus liquor præter unguentum pluris fuerit. Tamen non minùs in uſu Romæ olim erat, quàm hodie acetum. Turciſque hodie (inquit *Bellonius in ſingularibus obſervat.*) adeò uſitatum eſt: ut *Conſtantinopoli* nulla ſit Ichthyopolarum taberna, in qua non veneat.

Alecem dixit *Plinius gari vitium*, fæcem imperfectam, necdum colatam.

Muria è Thynnis facta in plebeiorum uſum parata erat: utrumque liquamen *Seneca in Epiſtolâ 96. pretioſam malorum piſcium ſaniem dixit.*

6. In divitum ganeam ab *Indiâ* uſque adfertur pretioſum liquamen; quod voce peregrinâ nominamus *Ceſhup.* ſuccus eſt tabeſcentium gammarorum, & forſan aliorum iſtius regionis piſcium, ſale idoneo conditus, & ſolibus æſtivis ad perfectam coctionem expoſitus. Hoc gari genus cibis gratiam parit, languentem ſtomachum pervellit, & frigidos veneris monet. *Ceſhup. Garum Indicum.*

Garum olim tantum ex ejuſdem nominis piſce factitatum poſtea autem, ut *Plin.* habet, *Alex* pervenit ad oſtreas, echinos, urticas, Gammaros, Mullorum Jecinora, innumeriſque generibus ad ſaporem Gulæ cœpit ſal tabeſcere. *Garum olim è piſce cognomine ficebat.*

7. Celebre in *India*, & *China* eſt *Soy* nobile garum, & longè melioris notæ quàm *Ceſhup. J. Slede Navarcha* in locis iſtis diu verſatus mihi retulit, ſe à Sinenſibus & *Japanenſibus* accepiſſe, eam excellentiam huic liquamini admiſtione fru- *Soya Japanenſium Garum.*

ctûs cujuſdam ſabæ ſimilis conciliari.

Hæmation quid 8. *Hæmation* confectum eſt ex *Thynnorum* viſceribus, unà cum branchiis, & ſanguine ſufficienti ſalis portione inſperſis. Hæc vaſe idoneo duos menſes includunt: eiſque expletis *Garum* hæmatium dictum depromunt. *E Conſtantini Geoponicis Langius in ep. medic.*

Oxyporum Græcorum. 9. Græci hodierni *Scarorum* ventriculos unà cum fæcibus, & hepate, quod fere prægrande eſt, & ſine felle, conferentes adjecto ſale, & aceto pulmentum elegans conficiunt, quo ipſius ſcari carnes alioquin non admodum ſapidas condiunt. Et offis eo intinctis, quoties ſeriò Græcantur, ventriculum reficientes, Vini malvatici amphoras ſtrenue ſiccant. *Bellonius.*

Garum è mullorum hepate. 10. *E mullorum* etiam *jecinoribus* & Vino & Garelæo ita mixtis, ut liquor ſimplex, & ad ſenſum ſimilaris videretur, veteres *Garum* ſeu generoſum embamma, cui multi carnes edendas intinxerunt, facere ſolebant.

CAP. XVII.

De Amphibiis, & inſectis eſculentis.

1. Superſunt *Amphibia* quædam, et *inſecta*, quæ licet pleriſque inviſa, ab aliis tamen pro cibis uſurpantur.

Crocodil. Ex his *Crocodilus* quibuſdam *Ægypti* civitatibus olim fuit pro numine: et etiamnum pro tali

Pe-

Peguanis Gangis accolis habetur; metu superstitionem incutiente. Hac tamen vicinorum numina *Tentyritæ* audacter interfecta avidè vorabant. Sed *Fredericus Wendelinus in Nilographia* suâ negat: carnes eorum gustui gratas esse, aut expetendas, nisi deficiente cibo commodiori. Elixæ verò ischiadicis prodesse, & tussim veterem sanare perhibentur. Hodie *Floridani*, & alii *Americæ* indigenæ *Crocodilorum* carnes in deliciis habent.

2. *Virides* etiam *Lacertos*, & illi & *Afri* quidam edunt, carnesque ferunt gustatu esse jucundissimas. *Juani Lacertorum* genus sunt, quos *Petrus Martyr Decad. lib.* 3°. ob eximium saporem quibusdam *Americæ* gentibus in summis deliciis esse, & proinde magnatum mensis arrogari tradit ut phasianos apud nos. **Lacerti.**

3. *Dubb* animal *Numidis*, & *Libyæ* incolis notum, è lacertorum familiâ est: nomen *Arabicè ursum* denotat. Sed ob quam *ursi* cum lacerto similitudinem facta sit *Metaphora* non video. Carnes eorum *Afris* in cibo placent: forsan hoc animal ex *Scincorum* genere est, quod *Arabibus* nominatur *Aldab* addito suo Articulo; facilis est vocalis Antithesis, & usitata. **Dubb.**

4. Complures *Africæ* & *Americæ* indigenæ sunt *Ophiophagi*. Certè *viperarum*, & *colubrorum* carnes, dempto capite, & felle nil nocent: nec sunt ori, aut stomacho ingratæ: sed parum alunt, sale verò subtili præditæ sanguini immiscibili, *Diaphoresin*, & *diuresin* promovent. Ideò *Alexeteria* sunt; & in morbis malignis cautè adhibita sæpe prosunt. Imo diutino earum esu luem veneream sanari asserit *Cardanus*. **Ophiophagi.**

Baptista

Baptista Tertreius in Hist. naturali Antillarum Gallicè script. *pag.* 311. tradit observatum fuisse: nullos *saurophagos* unquam pinguescere; sed sæpe sensim fieri *Hecticos:* & asserit, *Lacertorum* esum male eis cedere, qui lue Venereâ fuerunt tentati, & quod morbum reducat.

Bufonum esus. 5. Idcirco *Bufo*, animal maximè invisum, carnes habet non omnino inutiles. Nam in insulis quibusdam *Americanis* eorum esu, & aeris bonitate ea lues certissimè tollitur. Ex eisdem quædam scita remedia præter *Paracelsi Xenexton* parari queunt: in *America* inveniuntur magnitudinis; supra quam cuiquam sit credibile, qui non vidit.

Ranæ. 6. *Ranas* præsertim *virides*, ex aquis puris captas non *terrestres, mutasve Itali*, & aliæ gentes cute detractâ, & capite dempto, oleo frixas edunt. caro partium posteriorum (nam ea tantum in usu est) candida est, & dura. *Ranæ* in oleo cum sale decoctæ contra serpentum venena antidoto sunt. *Dioscorid. Æginet. lib.* 7. Jus earum contra inveteratos tendinum rigores, & virulenti animalis morsum pollet: sed siqui ranis crebrò vescuntur, decolores, & plumbeo vultu fiunt, (ut aliqui produnt) mali sunt succi, non aliunde enim istiusmodi chlorosis potest oriri.

Cochleæ. 7. Nisi *Cochleæ* inter veterum delicias fuissent habitæ, earum asservationi vivaria non instituissent, quod factum esse *Varro* & *Plinius* authores testantur: in quibus farre & sapâ saginatæ sunt: sed ea saginatio haud diu duravit. Nam *Macrobii* tempore exoleverat, & ignota erat, ut idem innuit. *Saturnal.* 3. 13.

Hodie

Hodie apud *Italos* aliosque ingeniosos opsodædalos ex eisdem, vino, aromatis & oleo conditis cibos maximè delicatorum gulis expetendos conficere luxuria nondum desiit.

Præferuntur autem cæteris *pomatiæ* dictæ, ab operculo è suâ salinâ concreto, quo hyeme clauduntur, & præcipuè quæ in *Liguria* nascuntur; sed & alibi. *Plinius* tradit; *Politanas* ex *Africa* laudatissimas fuisse, & tantas; ut eorum calyces octoginta quadrantes capere possint.

Dioscorides scribit *terrestres cochleas* stomacho gratas esse, nec facilè corrumpi. *Marinas* item ventriculo idoneas, et excerni faciles: sed *fluviatiles*, (inquit) virosum olent: ea quoque species, quæ vepribus et herbis hæret, quibusdam *seseli* dictis, nonnunquam ventrem et stomachum turbant.

Cochleas & limaces hæmoptoicis, et *phthisicis*, sed nullà veterum authoritate, quòd sciam, medici commendant. Sed quia refrigerant, et leniendi vim habent, visæ sunt idoneum remedium, quod postea experientia comprobatum est. Sunt verò, qui de earum facultate medicâ ambigunt. Aliique eam non toti carni; sed materiæ quam habent, quasi caseosæ attribuunt, eamque *Maconium* nominant.

8. *Testudo* item animal est φερέοικον, i.e. domicilium portans, esculentum, et boni saporis; cujus carnes, et sanguis phthisicis quoque et hecticis prodesse feruntur. Quod tamen *Græcorum* proverbium in dubium vocare videtur. In eo enim dicitur. ἢ δεῖ τῆς χελώνης κρέα φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν. *Carnes testudinis edendæ, aut non edendæ.* Quo *Testudines.*

innui

innui creditur, easdem modicè sumptas tormina ciere; copiose autem ingestas ventrem solvere, & exinde à malo liberare. *Cardanus lib. 9. de testudinibus* scribit: quòd *Africanarum* carnes septem diebus continuis cum pane sumptæ Elephantiasin ejus, qui non plus 7. annis eâ laboravit, magno miraculo curent. Creditque rei causam esse carnium siccitatem, cum temperamento humidi, tenuis & bene pinguis. Sed si ab earum esu ejusmodi subsit effectus, à sale volatili, quo scatent, potiùs oriri videtur. Ab isto enim Tartari & Sulphuris in sanguine concretiones dissolvuntur; aut per cutis poros aut vias urinarias exterminantur. Et eâdem de causâ utriusque testudinis caro marinæ, & terrestris pro *Alexeterio* habetur.

Cossi. 9. Quis crederet, improbam *Gulam* à vermiculis vilissimis non abstinuisse? At illa veterum nonnullis persuasit; *caseos* (vermes sunt è Lignis editi) farinâ in ganeam saginare, & cibos inde factos perhibent delicatiores fuisse, & lautiorum nepotum mensis dignatos. Quidam, quorum palatis caseus putrescens arridet, vermibus in eodem generatis delectantur; sed hæc male eis conveniunt; quibus ventriculus infirmus est: vermiculi ejusmodi urinam cient.

Locustæ. 10. Ad *locustarum* esum quasdam gentes adegit necessitas: messibus enim spoliati à prædonibus res repetere coacti sunt; eas igitur acervatim collectas pro frugibus amissis in rem cibariam servant & gravissima pestis fit cibus non ingratus, & salubris, nam urinam movet, & contra venenatorum morsus prodest. Quare hic cibus *Judæis* non fuit interdictus & verisimile est

Baptistam

Baptistam locustis hujusmodi non *ceratii*, ut quidam volunt, victitasse. *Syris* etiam eorum vicinis & *Parthis*, in cibis olim in usum fuisse, à scriptoribus perhibetur: nec hodie idem facere destiterunt. Tradit autem *Diodorus Siculus lib. tertio cap.* 3. *Acridophagos*, vitæ brevis esse aut à pediculis alatis infestatos interire. Sed nihil horum habet *Dioscorides*, qui eorum regiones peragrâsset, & in eorum viciniâ esset natus.

11. Nulla *Amphibii* quadrupedis, aut serpentis ova esculenta præter *testudinis* & *Juanæ* accepimus. Ista etiam *testudinum* nonnulli censent noxia. Sed *Balthasar Pisanellus* de Esculentis, & Potulentis; eorum esum præ aliis vel febrientibus commendat; quia æstuantes frigidâ suâ naturâ contemperant, aut somno inducto pervigilii tædium auferunt: præferuntur maculata, quibus testa prædura est, & diu servata recentioribus meliora sunt. *Muffet de victu.* *Ova Testud.*

Nullum epularum genus *Ovis Juanarum* par ferunt, quæ per se & leniter coquuntur. *Pet. Martyr decad. Oceaneæ lib.* 3. *Ova Juanæ. i. e. Lacertæ Americanæ.*

CAP. XVIII.

De Zoophytis marinis esculentis.

1. NEquid prætermittam, quod famis necessitas, aut Gulæ petulantia in ciborum album

album ascivit, paucis agemus de eis quæ, ut ait *Aristoteles* φύτῳ καὶ ζώῳ ἐπαμφοτερίζουσι, inter plantas & animalia ambigunt; qualia sunt *holothurion*, *Tethya*, *urtica marina &c.*

Urtica. 2. *Urtica Marina*, Græcè etiam ἀκαλήφη, quod terrestris modo tacta pruritu quodam tangentis digitos afficit. Saxis ferè hæret: sed aliquando soluta vagatur. *Aristoteles lib. 4. Histor. animalium*; sentire affirmat, & etiam fixam pisciculis præternatantibus vesci, alioquin vivere vix crederes.

Esculenta est, & *Burdegalensibus* & aliis quibusdam in deliciis habetur. *Rondoletius.*

Græci eas assant, dein farinâ conspersas ex oleo frigunt. *Diphilus apud Athenæum* tradit urticas comestas alvo esse faciles, urinam movere & stomacho esse gratas. Hibernis mensibus, meliores sunt, quippe tum carne magis constante. Duplex est edulium urticarum genus. Minores cibo sunt aptiores: sed majores, quia duri, minùs gustui placent.

Tethya. 3. *Tethya Zoophyta* sunt esculenta, maris tubera dicas, sub tegumento calloso carnes membranâ involutas continent, saxis aut ostreorum testis adhærescunt, magnitudine juglandis & nonnunquam ovi Gallinacei, colore extra fusca, intus crocea. Non nisi adhærendo vivunt: ideoque parùm à plantis differunt: at sunt (inquit *Aristoteles*) spongiis vivaciora ζωτικώτερα. Carnes eorum in cibo sumptæ quibusdam placent; multùm alunt. Emaciatis & cachecticis prodesse feruntur.

PRO-



PROLEGOMENA COMMENTARII De Potu.

CAP. I.

1. PLeriſque terreſtrium animantium non minor bibendi; quàm edendi incumbit neceſſitas. Quippe calor à motu vitali in nonnullis ſatis fervido excitatus eorum humiditatem jugiter depaſcitur, eamque niſi latice idoneo ſubinde infuſo reſarcias, penitus deperdit: perinde atque curruum axes, niſi aquâ, aut axungiæ lenimine mitigentur, vehementem rotarum attritum ſine incenſione diu non ferunt. *Conſideratio de potu in gen.*

Natura igitur, quæ rerum conſervatricium penè

penè omnibus appetentiam inſerit, ſingulis ſitim, quæ eſt naturale bibendi deſiderium ad vitæ conſervationem neceſſarium, indidit: tamen *Lacertus Africanus* dictus *Dubb* ab aquâ abhorret: imo ei aqua eſt letalis & nex præſentiſſima *Scaliger ad Cardanum.* Aves, quibus ungues ſunt adunci vix bibunt, *Ariſtot. Mures* etiam *Libyci* ſi bibant, moriuntur. *Plin.* nec bibant canes rabidi & ab eiſdem demorſi à liquidis abhorrent, inde *Hydrophob* dicti.

Sitis.

Quæ ſitim augent.

Hanc ſitis affectionem calor externus, exercitiũ, aut nimiæ evacuationes plurimùm intendunt. Salſi item cibi & aromata idem faciunt: depravant etiam morbi multi. Diabete exhauſtâ humiditate; febres, & hydrops materiâ vitioſa, Sulphurea, aut ſalſâ guſtûs organa, & ventriculi orificium obſidente, in immenſum augente: porrò ſanguine nimis diluto, & calore nativo deficiente ſæpe diminuitur. Imo nonnunquàm planè tollitur: fuerunt enim, præſertim fæminæ quæ languentes quidem diutiſſimè ſine potu perſtiterunt: quarum temperamentis frigidis & perquam humidis humor aqueus aeri diſſeminatus ſuffeciſſe videtur: ſed in ſitis εὐφορίᾳ plurimùm valet conſuetudo: nam qui *ſolitudinum ſqualoribus*, ubi aqua raro ſuppetit, aſſueſcunt, ejus moleſtiam diutiùs, quàm alii, & faciliùs ferre poſſunt, ſed cameli eorum ad id nati videntur, nam ſæpè ultra *quatriduum* in itinere ſine potu perſeverantes nec ſolis calori, nec oneribus præ ſiti ſuccumbunt.

Quædam fœminæ ſitim diu ferunt.

Materiâ potabilis eſt.

2. In ſiti reſtinguendâ calori, & ſiccitati, è quibus oritur, opponuntur ſua contraria, idcirco oportet rem potabilem, quæ ſit verè ἄλιψος, frigidam

gidam esse & humidam: quibus qualitatibus cum *aqua* excellat; ei potissimùm tribuuntur hæ partes, quibus ferè eò promptius fungitur, quanto magis limpida sit & ab omni alienâ tincturâ immunis. *Aqua.*

Quare juscula carnium, aliave ejusmodi sorbilia nutritioni, sed non sitis restinctioni inserviunt; uti nec spiritus liquoris alicujus fermentatione exaltati puriores: qui liquori suo quandiu insunt, gratiorem conciliant saporem; eumque meliorem reddunt: sed in primis, si salinis laticis particulis eminere incipientibus, ad acorem vergat; siquidem acida sitim naturalem blandè fallunt, & morbosa, saltem febrilis nulli alii potui satiabilis, aquis Vitrioli Sulphuris aut Salis stagmate aciatis cedit. *Non juscula.* *Aut spiritus fermentati.* *Acida sitim fallunt.*

Observatione dignum est, quam citò haustus frigidæ sitim naturalem, utut gravem compescit, & quod liquores generosi quam primùm hausti vires fatiscentes instaurent. Potus nimirum sumptus faucibus, & tracheâ obiter irrigatis, in ventriculum descendit, unde viâ compendiariâ sanguini suffusus effectus suos sive humectatione, sive refectione opus sit, dictum factum exerit. Plurima potuum genera excogitavit luxuries: paucis fuisset contenta natura: quorum quæ usitata sunt quasi transenna observare non pigeat, & quia *aqua* simplex fines bibendi primarios exequitur, ab eâ potissimùm exordiar: deinde succos, aliosque potus tam fermentatos quam azymos considerabimus. *Quàm citò frigida sitim restinguit.* *Et generosi liquores spiritus recreant.*

U CAP.

CAP. II.

De Aquâ.

Aqua simplex. 1. AQua dum ad manus est, & facilè parabilis ferè vilescit, sed si pro utilitate æstimaretur, nulli naturæ, aut artis operi valore cederet: ideò *Pindarus* in initio ait, Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Utcunque *Thaletis* placitum; quòd omnia ex *aquâ* fiunt, plerisque paradoxum sit: tamen hoc certum est, sine eâ nil crescere, nil posse vivere; provida igitur natura largam ejus copiam ubique præbuit, terrasque omnes habitabiles diversis quasi machinis hydragogis irrigavit, in plerisque locis *aquæ* per terræ venas discurrentes in puteis excipiuntur, aut in scatebras erumpentes, fontibus & fluviis dant origines: sublimes etiam rapiuntur, pluviæ, aut nivis futuræ materia.

Ejus utilitas.

Nil crescit sine aquâ.

Pluvia præter alias utilitates fontes alit; non omnibus sola dat initium, (ut quibusdam visum est) sunt enim insulæ angustæ, & valde editæ, in quibus fontes vivi, & nullâ anni siccitate exhauriendi, passim scaturiunt, quibus nulla terra, unde humor suppetat, editior imminet.

Pluviæ usus.

In *Ægypto* raro admodum pluit; quasi se *Nili*, cui soli ea regio potum, & irrigationem debet, negotiis pluvia nollet immiscere. Admiranda est naturæ quædam *Hydragogia*, quâ sitientibus *Afris* in quibusdam provinciis consuluit; sed ægrè ere-

Hydragogia naturalis.

credenda, nisi multâ, & gravi oculatorum testium fide confirmaretur historia.

Aq. ex arboribus.

Sunt *arbores* quædam vastæ, ubi maxima aquæ fontanæ est penuria, crescentes; quæ incredibilem aquæ limpidæ vim præbent: è cujus abundantiâ perpetim destillante vicinia loci jugitèr rigatur: & si è tali arbore viginti hydrias, aut amplius depromas, tantundem illico subit: ideo vix exhauritur. Narrat αὐτόπτης quidam apud *Purchasum* aquam unius arboris quadringentis equitibus potui suffecisse. Est insula maris *Atlantici Turro* dicta in cujus meditullio crescit arbor, nescio an ex dicto genere, quæ aquam præbet, quanta insularium necessitatibus inserviat: arbori semper insidet nubes cujus humor roscidus à ramis destillans ab incolis excipitur.

Notæ bonitatis in aq. potabili.

2. Optima *aqua*, pellucida est & levissima, talis enim nullas heterogeneæ materiæ particulas in poris continet: ideo ventriculum non gravat; sed venarum oscula facile subiens, in sanguinem ocyssimè transit, eadem etiam citò calesit, & calefacta statim frigescit: nihil enim in se continet terrestre quod qualitates transeuntes impediat, aut receptas diu detineat. Aquæ bonæ nota est carnes, & legumina celeriter coquere, & smegmati facilè immisceri: quod non fit, nisi salium stypticorum sit expers: *aqua* terrestribus, aut salinis particulis asperior, si insolaveris aliquot dies, mitescet; & exinde coctioni, aut ablutioni erit magis idonea: terrestria enim, quæ infuerunt, præcipitata in sedimento videbis, quibus nitrum aereum succedere videtur.

Aq. insolata mitescit.

De aq. proprietatibus.

3. *Aquæ meteoricæ* in aeris sinum sublatæ nimirum *nivalis*, & *ros* diversas ibidem sortiuntur qua-

De cælesti aq.

qualitates. Sunt quibus aqua pluvia in potu præferenda videtur, præsertim verna, aut æstiva à meridie delata, utpote cæteris levior, pura & radiis solaribus excocta. Sed certè in ejus examine plagæ, unde oritur, ratio imprimis habenda est: nam loci & cœli impuritatum participant unde imbres maritimis *Guineæ*, hominibus morbos, vestibus, in quas decidunt, vermiculos creant. In *Duriene* gyrinos, & inde ranas pariunt, & fætent, nam Sulphure impuro abundant: hoc etiam nonnunquàm, alibi factum fuit; & inde percrebuit fama ranulis pluisse. In regionibus, quæ solo meliori, & Cœlo salubri fruuntur, aqua pluvia pura est & defæcatior, commodè igitur talis in potu cruda usurpatur, sed meliùs destillata.

Ubi est insalubris.

Aqua nivalis.

4. *Nix* quoad ortum pluviæ affinis est, utraque sunt vaporum soboles. Sed illa soluta ab hâc diversa est, & minùs in potu salubris.

Itaque ejus, & Glaciei usus in potione; quam Voluptas in æstivis caloribus comprobavit, magnorum virorum autoritate damnatur. Nam *Hippocrates in libello de aere, locis & aquis* asserit, omnes, quæ à nive aut Glacie fiunt, aquas, pravas esse, nec ampliùs ad pristinam naturam redire & *in Aphorismor. lib.* 5. easdem tussim movere, sanguinis eruptiones & destillationes efficere. In causâ esse putat quia quod eis leve, aut dulce inßuit, in congelando excernitur & evanescit, manente fæce & parte ponderosâ.

Hippocratis de nivali sententia.

Cur sit insalubris.

Peripateticus quidam apud *Gellium lib:* 19. *cap.* 5. amicos à nivalis & glacialis usu dehortatus *Aristotelis* autoritatem easdem eàdem de causâ improbantis citat ὕδατος πηγνυμένου (inquit) τὸ λεπ-

τότατον

πόλατον διαπνεῖται. aquæ congelatæ, quod tenuissimum, difflatur. At mihi horum opinio magis, quam ætiologia arridet. Spiritus liquorum in congelatione profligari agnosco: sed ubi sunt spiritus in *aquâ* sincerâ profligandi? Mihi igitur verisimilius videtur particulas rigidas concretionis causas in liquoris solutione non statim omnes evanescere aut rigorem deponere. Ideoque ingestæ fauces lædunt, & spiritibus viscerum incolis torporem inducendo, eorum εὐτονίαν nimius eorum usus labefactat.

Porro nivalibus crimini datum est; quod *Bronchocelas* frequenter bibentibus excitant, quæ in *Bavariæ, & Stiriæ* montanis ideò endemiæ sunt; quod in istis locis istiusmodi aquæ vulgo usurpantur. Alii verò malunt hoc vitium particulis *Mercurialibus* imputare: quibus aquæ à Montibus metalliferis descendentes possunt infici. Mercurii enim proprium est, humores pituitosos ad fauces deducere, & hoc probabilius videtur: quòd in *Rhæticis* montibus nil tale accidit: etsi fere nivali in potu utuntur, & in quibusdam *Africæ* montanis *Bronchocelæ* frequentes sunt istis, qui è torrentibus potum habent. *An bronchocelas faciat;*

Hæc autem nivis vitia, utut gravia, *Italos, Hispanos*; aliasque gentes ab ejus usu non deterrent. Quin in *hypogæis* studiose asservant, in pocula æstuantium, conjiciendam: sed voluptatem refrigerii nimio sæpe emunt: ejus usu periit *Gonzaga Mantuanorum princeps*; *ut narrat* Bryeurinus *de re cibaria cap.* 9. *Pisanellus* tamen nivis usum laudat, ejusque usu febres putat arceri: idque probat *Siculorum* exemplo, qui ab ejus usu introducto fuerunt

runt febribus minus obnoxii.

Grando. 5. *Grando* sæpe sordibus terrestribus non vacat, media est inter Glaciem & nivem, soluta in potum quàm nivalis, aut Glacialis minùs commoda est.

Ros quid sit. 6. *Ros* raro bibitur, quòd aquæ magis parabiles ubique præstò sunt, tenuis est, & purus, nisi quòd prima æstate suo *aeromelite* imprægnatur ideò ex eo tunc collecto liquor acerrimus potest fieri: sed *Ros* non ideo minus salubris aut potabilis est: uti nec hydromeli: quod ex eo liquor elici potest lapidibus sine calcinatione solvendis idoneus, uti *Hartmanus* prodit.

Aq. è cisternis cujusmodi sit. 7. *Aquæ* meteorici generis in cisternis, aut stagnis exceptæ in usus domesticos asservantur sed vix illimes inde hauriuntur nec sine defæcatione commodè bibuntur, nam semiputridæ gustui displicent; & fæculentæ viscera gravant, aquas quidem stagnantes plurimis ignominiæ notis oneravit *Hippocrates lib. de aere aq. & loc.* scribit enim; frequentèr bibentibus splenes facere magnos, & ventres duros reddere; attenuare humeros, & faciem, sitim & edacitatem afferre, hydropes creare. Æstate dysenterias, diarrhœas, & febres quartanas; hyeme juvenibus peripneumonias, νοσήματα μανιώδη &c. incitare, denique abbreviare vitam, & præmaturam senectam accelerare. Itaque μοχθηρὰς πρὸς ἅπαν χρῆμα judicat. Cui sententiæ subscribit *Oribasius*. Sed ego nequeo, qui noveram multas familias, quæ hujusmodi aquis uti coactæ sunt, nec alias habuerunt, longævas, & ab istis morbis omnino immunes.

8. Pa-

8. Paratiſſima *aquæ dulcis* promptuaria ſunt, *fontes perennes*, qui ſuâ ſponte in lucem emergunt, quibus proximè accedunt iſti, quos humana induſtria, puteos fodiendo, aperit: fontanæ maximè laudabiles ſunt, quæ nulla mineralia alluentes, à quorum particulis afficiantur, omnis ſaporis, & odoris ſunt expertes. *Fontana & puteatis.*

Tales ſine faucium, aut viſcerum injuriâ refrigerantes, & humectantes ſitim jucundè reſtinguunt, & ad alios uſus domeſticos imprimis quadrant: at aquas omni ex parte ſinceras haud paſſim invenias, tanta enim eſt glebæ, quà tranſitur, varietas; ut omnimodi inquinamenti immunes eſſe vix detur. Quare diverſiſſimas qualitates ſortiuntur, & nonnullas planè mirabiles.

9. Sunt fontes qui *petrificant*. *Pythagoram* de talibus loquentem *Ovidius lib. metamorph.* 15. inducit. *De fontibus admirandis.*

Flumen habent Cicones quod potum ſaxea reddit
Viſcera.

Et præter hoc poetæ, conſtat plurimis fontibus hujuſmodi *lithiaſin* ineſſe: cujus rei multos idoneos teſtes citavit *Thomas Shirlæus in libello de naturâ petrificationis*, & inter eas *Johan: Petrum Fabrum* narrantem; quòd propè *Clermontiam in Arverniâ* è ſaxo quodam emanet rivulus, cujus *aqua nychthemeri* ſpatio in ſaxum vertitur: potu necat: & vaſis excepta, velut glacies, eorum figuras lapideſcens exprimit. In quibuſdam quoque Peruvianæ locis ex iſtiuſmodi *aquâ*, formis exceptâ, & *lithiaſin* paſſâ Muri & ædes fieri, non ſecùs ac latere coctili feruntur, at eadem *aqua* *Aq. petrificantes.*

ſuo alveó profluens, aquæ limpidæ formam ſervat donec ſeparetur, aut à motu prohibeatur. Difficile dictu eſt, cui *Gorgoni* hæc mutatio debeatur, an ſali alicui cognato ei, qui in pulvere Alabaſtritis calcinati latet cujus ope *aquâ* perfuſus in lapidem protinùs dureſcit. Sive ſpiritui, aut (quod probabilius) Semini ſaxifico *aquâ* iſtâ diffuſo, quod in *aquâ* quieſcente ſuam vim exerit, fluorem ejus coagulo inſenſili ſiſtendo, eumque indurando: aliquid analogum à vaſe aceſcente lacti accidere videmus, & Mercurii partes agillimas ſolo Saturni tuti halitu figi.

Aq. Stygiæ. 10. Ut iſtæ concreſcunt, ita *Stygiæ* metalla & alia diſtrahunt. *Styx* olim in fabulis notiſſima, & *Alexandri* morte infamis, fons erat *Arcadiæ* propè *Nonacrin*; cujus aquæ animalibus lethales omnimoda vaſa perrumperent. Si ea quæ de earum vi corroſivâ prædicantur, vera ſunt, probabile eſt, fuiſſe ſpiritus ſalium acutos à naturâ, vi caloris ſubterranei in montium cavernis elaboratos, artificialibus non diſſimiles, puta Oleo Sulphuris per Camp: aut acido ammoniaci. Solùm enim ſalibus ſubtiliatis poteſt aſcribi tanta penetrabilitas: nam ut ſal ſoliditatis πρῶτον δεκτικόν; ita ejuſdem eſt poſt ignem præcipuum ſolvens. Non videtur *Alexander* ab eis læſus, nam ſi merum bibiſſet, vehementia aciditatis inſidias prodidiſſet & multùm dilutæ non nocuiſſent.

Aq. flu. inebriantes. 11. Leviori vitio *Lynceſtis* aquas natura affecit quem *Lynceſium Vibius Sequeſter* nominat, *Thraciaque* fluvium eſſe tradit; de ejus aquis quotquot bibunt, velut vino temulenti fiunt, qui hauſit, inquit Poeta.

Haud

Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

Hic effectus bitumini, quo aquæ iſtæ inficiuntur, capiti, & nervoſo generi infeſto, aſcribendus videtur. Majori ejuſmodi materiæ copiâ vitiantur *Æthiopiæ* lacus; de quibus quiſquis bibit, aut furore, aut lethargo ſubitò corripitur. *Plin.* in *Naxo* inſula fluit fons vino prædulci. *Cæl. Rod. lib.* 22. *cap.* 13.

Clitorius amnis *Arcadiæ* (*Pauſanias Clitorem* vocat) é vinoſis prorſus abſtemios facere perhibetur. Nimirum ſenſus quibus vini delectatio percipitur hebetando, ejus deſiderium tollit; eodem modo, quo *Xyris* guſtata famem fallit, cibique tædium inducit. Porro mira fontium quorundam efficacia olim decantata eſt, quaſi non tantum colores, & ſtaturam, ſed & mores animalium mutare poſſent. *Aq. flu. qui abſtemios reddit.*

Unde *Salmacis* fons juxta *Halicarnaſſum* infamis fuit, quod corpora bibentium aut in ea lavantium, effæminare crederetur, at mollities luxuriæ, & incontinentiæ propago eſt, vix aquæ, & ob hanc alii *Aſiatici* etſi à *Cariâ* ſatis diſſiti olim malè audierunt: tamen non negandum eſt corpora morbis ab inſalubrium aquarum potu contractis interdum enervari: & ejuſmodi potuit eſſe *Salmacis*: ſed *Strabo* id negat. Selemni *aqua* viros fæminaſque eà ablutos à libidine liberare putatur: quod ſi ſit, (inquit *Pauſanias*) omni auro pretioſior eſt. *Aq. effæminantes.*

Certius eſt forſan illud vaccas quæ *Clitumnum* bibunt, candidos partus, quæ *Melan*, tantùm nigros edere. *Strabo lib. ſexto*, ſcribit, *Crathin fluvium magnæ Græciæ*, ἀνθρώπυς ξανθοτριχεῖν, καὶ λευκοτριχεῖν *Aq. colores inducentes.*

τειχεῖν ποιεῖν· Hominum comis flavos, aut albos colores inducere, hoc si lotione tantùm fiat, conjicias, aquas per subterranea perusta delatas lixiviæ naturam induisse; nam lixivià in consimilem usum nonnullæ *Italæ* hociè utuntur: sed si potione fiat, hæret *aqua*, & vereor ne à posteriori rem tantùm scire cogamur: sed, utut obscura sit causa, rei existentia est satis probabilis. Nam apud nos in quibusdam regionibus solos boves nigros, in aliis rufos & alibi omnes bicolores nasci videre est, & eam diversitatem ab aquis oriri plurimi suspicantur. Imo sunt, quibus persuasum est *Æthiopas* nigredinem suam, & colorem *Indos* fuscum ab aquarum potiùs quam aeris sui proprietate traxisse.

Innumera sunt fontium miracula. *Plinius* negat in ullà naturæ parte esse majora, & certè omnia, quæ ille, & alii authores istiusmodi congesserunt, repetere, citiùs tædium afferret, quàm fidem faceret & forsan in jam dictis, aliquis putet, me de causis rerum nunquam existentium esse sollicitum: ad certiora igitur transeo.

De aquis mineralibus. Thermæ & acidulæ.

11. Aquas quidem sinceras, odoris, & saporis expertes potui imprimis idoneas diximus, sunt tamen pleræque, quæ mineralium participant, non inutiles, imo magno hominum beneficio natæ videntur. *Thermæ & acidulæ* in quibusvis ferè regionibus scaturiunt, à quibus, adhibito periti medici judicio, graves & contumaces morbi profligantur.

Plurimos hujus generis fontes habet *Germania*, multos *Italia*, & *Sicilia*, quorum virtutes pro varià mineralium mixturà, diversas *Fuesius*, *Rulandus*,

landus, & *Savonarola* deſcripſerunt. Nec noſtræ inſulæ deſunt acidulæ; imò abundant. Calidos item fontes *Bathoniæ*, & *Buxtoni* in agro *Darbienſi* celebres habemus, et hominum frequentiâ, et medicâ efficacitate nobilitatos. Omnibus enim nervoſi generis obſtructionibus, et paralyticis, puerisq; rhachiticis medentur: obices enim humorum, aut ſpirituum quoſcunque, aut viſcerum laxatis poris, eliciunt, aut removent. Hypochondriacis etiam eadem energiâ proſunt, viâque flatibus patefactâ fuliginoſis, ſpiritus allevientur; pſoræ quoque aliiſque morbis cutaneis aut ulceribus ſunt utiles. *Thermæ.*

Cauſa caloris in *thermis* naturalibus obſcurior eſt, quàm fontis initium: unde de eâ variæ ſunt ſententiæ. Sunt, qui eam lapidi cuidam calcario attribuunt, qui aquæ affluxu perfuſus perpetuò candeſcens calorem aquæ jugiter tranſeunti inducit. *Cauſa caloris in thermis obſcura.*

Sed Lapis calcarius niſi alius ſit atque is qui uſtrinâ vim θερμαντικὴν contraxit eam madore aliquo laxatus citò deponit: quare calor, inde ſi fieret, non eſſet perennis.

Alii ignes ſubterraneos ad partes vocant: quales in *Campania*, & *Siciliâ* ſunt multi, ideo illic *Thermæ* complures erumpunt, ut cenſet *Kircherus in mundo ſubterraneo*. Non ibo inficias, ignes ſubterraneos nonnunquam fontes calfacere: ſed ignes iſtiuſmodi fomite abſumpto, donec novus ſuppetat, in tempus ceſſant: plurimæ autem *Thermæ* ſunt perpetuæ, itáque alia cauſa perennitatis quærenda eſt. *An ab ignibus ſubterraneis.*

Qui in aurifodinis, aliiſve ſatis altis verſantur, ſæpe ingentes calores ſentiunt; qui â ſemine mi-

mineralium, in principiis solutis ad perfectionem tendentibus excitari videntur. Semen enim invisibile, id est, aura seminis spiritalis, jugi motu opus suum absolvit: qui motus calor est. à tali calore in mineralium genesi, satis intenso possunt affici aquæ in lucem mox emersuræ & hujusmodi focus potest constans esse & durabilis nam metallorum perfectio multorum seculorum opus putatur. Sed hujus causæ veritatem meritò suspicati sunt, qui fontium calidorum originem fodiendo scrutati, sine ullo talis foci indicio ultra calorem aquæ venam sequuti sunt: ideoque verisimile existimant; *thermas* fieri ex aquis duabus, pluribusve mineralibus separatim frigidis, in concursu verò ob mutuam salium diversi generis repugnantiam incalescentibus: ut videre est, in Tartari vitriolati præparatione; ubi liquore Tartari per deliquium Oleo Vitrioli commisso oritur calor. Idem faciunt aqua fortis, & Oleum Tartari, *Butyrum* Antimonii, & spiritus Nitri cum in præparatione *Bezoardici* mineralis misceantur: imo planè ardent, si spiritus Nitri *Butyro* Antimonii confertim injiciatur: idem in aliis quibusdam mistis accidit: idcirco potest, & in *thermis* fieri.

An à salibus diversi generis.

Sed *Thermæ* minùs ad rem nostram pertinent (nisi ubi valetudinis ergo in potu usurpantur) quam acidulæ quæ stomachicis potæ prosunt.

Aristoteles problemat. sect. 24. quærit: cur *Aquæ Magneso* & *Artanæ* satis fervidæ sunt potabiles, unde suspicor pro potu ordinario quibusdam fuisse, quærit etiam cur dictæ aquæ fervere desierunt, salsæ nihilo minùs esse non destiterunt. Philosophus conjicit, aquæ copiam frigidæ aliunde in

in fontes fervidos fusam calorem extinxisse; probabiliùs dixisset: ob alteram materiæ Excalfactoriæ partem absumptam illam affectionem cessâsse, quam nisi conjunctæ causæ non producunt.

12. Fontibus interdum magna succorum mineralium putà aluminis, vitrioli, aut salis copia, cocturà separabilis immiscetur: & tales per vehementem acredinem non sunt potabiles, alii horum nonnihil continent, & metallorum spiritus adeò intimè mistos, ut nullo modo possint separari; at levi artificio, sæpe suam naturam fateri coguntur. Nimirum destillatione, vel admistione gallarum, aliusve rei, quæ liquori mutationem σημαντικὴν afferat: variæ sunt acidularum virtutes, primùm ventriculum & intestina corroborant, & vasa sanguinea majora constringendo, priùs nimis laxa, circuitum per capillaria penè derelicta promovent (id particulis vitriolicis potissimùm ascribendum) hoc pacto sanguini languenti motum, & frigenti calorem denuò conciliant, & si ferro, (ferro solubili, aut ut dicunt in fieri) plenè imbuantur, quasi clave inde factâ, obstructos viscerum, lienis, hepatis, & renum meatus reserant; ideoque morbi alioquin indomiti nonnunquam earum potu sanantur, delectu earum & quantitate pro morbi naturâ, & personæ constitutione, à medico prudente præscriptis, & cum aliis circumstantiis necessariis ritè observatis. *Acidulæ. Quid prosunt. Et quomod. Operantur*

13. *Fluvii* magni, etsi ex omni profluenti, pluviali nivali & fontanâ omnis generis constent; tamen nisi ubi magnarum urbium sordibus inquinantur ferè salubrem, nec insuavem potum præbent: et imprimis, quotquot à meri- *Aq. fluviatiles. Quales.*

die descendunt, & ipso sole; nam cursus longinquitate, & diuturnâ insolatione attenuati præ aliis dulcescunt. Hoc *Nilo* illam dedit prærogativam, ut omnibus aquis præferretur; de quo *Seneca lib. 4. quæst. natur. cap. 2. Nulli fluminum dulcior gustus est*; & *Pescenimus Niger* militibus stationariis vinum postulantibus respondisse fertur, *Nilum habetis & vinum petitis?*

Aq. Nilotica.

Aqua Nilotica.

Quare *Ægypti* proceribus potum præbuit, ut *Choaspis Persarum* regibus, quâ solâ illi, & finitimi reges ob eximiam suavitatem in potum usi sunt. Et *Philadelphus Ægypti* rex filiam *Berenicen Assyriæ* regi desponsam alio potu quàm *Nili aquâ* uti noluit: forsan quod *aqua Nilotica*, fæminas fæcundas faciat & viscera, inquit *Seneca in Nat. quæstionib.* longiore sterilitate præclusa relaxet. Magnis igitur impensis eam *Assyriam* deferri curavit Rex: quod facilius erat factu, quod *aqua Nilotica* instar vini optimi à putredine est immunis cujus ἀσηψίας causa eadem videtur, quæ dulcedinis, & salubritatis; nimirum tenuitas, & exacta puritas, quam longissimo cursu elaborata & in maximâ ejus parte radiis solis directis excocta consequitur, tenetque quamdiu sit illimis, sin forte à cœno, aliave re heterogeneâ turbetur, defæcatio expectanda est; *Ægyptii aquæ Niloticæ* utcunque turbidæ defæcationem accelerant, amygdalarum contusarum magmate aut Lomento è faba *Ægyptiaca*, injectis. *Vanslebius.* Hoc ni fiat sequitur putredo, certissima mistorum affectio. *Niloticæ* quidem aquæ, & quæ ad eas sinceritate proximè accedunt, navigantium commeatui sunt utilissimæ,

mæ, & poſt eas, eligendæ ſunt, (ſi fieri poſſit) quæ multo decurſu, aut inſolatione aliquid heterogeneitatis depoſuerunt, aut exhalârunt: cujus quanto minùs continent, tanto pauciores putredinis vices in navigatione ſubeunt.

In plagis aliis auſtralibus paſſim ſcaturiunt aquæ leves, leneſque ſapore quaſi lacteo dulces in quarum poris nihil abſurdi hæret; calore ſolari, & nitri aerei energiâ facile ſi quid ejuſmodi inſit, deturbatur, quod natura videtur indulſiſſe, ut facilior ſit hydropoſia, ubi alii liquores vix ſuppetunt, aut minùs proſunt. *In plagis calidis. Aquæ ſunt optimæ.*

CAP.

CAP. III.

De liquoribus fermentatis in gen.

Frigida sitim restinguit. 1. QUanquam frigida modo pura sit, siti restinguendæ sufficiat: tamen cum perpauci eà contenti sint: liquores complures generosos, qui præter sitis restinctionem, spiritus animales recreant, excogitarunt homines. Cujusmodi sunt succi fructuum, & latices seminibus, aliave vegetabili materiâ infusa imprægnati, qui tamen ad id generositatis non nisi fermentatione evehuntur.

Generosi liquores spiritus recreant.

Quid sit fermentatio. 2. *Fermentatio* liquoris motus est intestinus, quem principia activa concitant, dum à crassioribus particulis, quibus erant implicata extricari satagunt, & ex illa commotione partibus spirituosis exaltatis, terrestribus vero subactis, aut exterminatis, liquor gustui gratus & generosus evadit.

Spiritus quid. 3. Spiritus autem liberati, & jam sui juris, sponte avolant, nisi vasis commodè obturatis asserventur. Ignis etiam vi à reliquo liquore facilè separantur, & rectificatione alcholizantur, id est, phlegma suum omnino exuunt.

In potu quid faciunt. Item potati sanguini sese promptè insinuant, spiritusque vitales, & animales moderatè assumpti reficiunt. Sin modum excedant, œconomiâ eorundem perturbata inebriant, & sæpè sunt morborum gravissimorum causæ; imo nonnunquam subitæ mortis.

Abusus.

Itaque

Itaque difficile dictu est, utrùm majori humani generis emolumento, an malo fuit fermentatorum liquorum inventio: fac spiritus fatiscentes instaurare, cardiacos esse, & stomacho utiles: at Ebrietatem & crapulam afferunt, quæ sanitati corporis multùm nocent; at magis moribus: nam mores ita mutant, ut *Circes* instar homines in belluas transformare videantur. Sed reverà hæc hominum, qui eis abutuntur, non rerum vitia sunt: tamen his homines plus nimio delectantur. Itaque rebus variis præter liquores accersunt. *Ebrietatis causæ.*

4. Ebrietatem, quam spiritus liquidorum faciunt, *Lolium*, *Hyoscyami radices* aliaque multa vi specificâ repræsentant. Totas familias à farinâ loliaceâ in panem coctâ inebriatas, & penitus deliras vidi. In mentem mihi venit historiæ, quam alicubi legi de nautis: qui in insulâ maris *Indici* quâdam, prunis, in quæ incidebant, comestis, quòd insidioso colore, & sapore dulci ad id invitabant, insanivere; unde quidam ridere, alii flere, nonnulli saltare; denique omnes ineptire: sed singuli diversimode sic ab eodem liquore ebrii pro temperamenti varietate diversas partes sæpe agunt, ut panni ex eâdem cortinâ colores diversos accipiunt, pro præparatione, quâ à tinctore priùs fuerant imbuti. *Quæ præter spiritus fermentat. ebrietatem faciunt.* *Hist.*

In *India* passim nascitur herba *Datura* seu *Dutroa* dicta; cujus semen inebriat. Eo igitur propinato impudicæ mulieres maritos in delirationem aliquot horas duraturam conjiciunt. Et interea mœchis ante oculos eorum adductis coram sui copiam faciunt, securitate voluptatem augente, illi verò ridiculè deliri nihil intelli- *Datura.*

gunt, aut poſtea reminiſcuntur: neque priuſquam vis pharmaci evanuit, niſi pedibus frigida perfuſis, ad ſe redeunt. Sed aliquo delirii genere plerique orientales delectantur, & ideo ultro acceſſunt. *Linſcoten:* in hunc finem *Turcæ* ſuum *Maſlack*, *Indi* & *Perſæ Banguem*, *Ægyptii Boſam* infra deſcriptam aſſumunt. A quibus aliquandiu jucundâ amentiâ afficiuntur, & utcunque aliàs miſeri, interea in Cœlo ſibi videntur. Cæteræ gentes compotationibus indulgent, quoties animi relaxationem quærunt: ſed ex intemperantiâ ſæpius in ejuſdem alienationem incidunt.

Berſa. Boſa. Scythæ herbis in ignem miſſis & crematis ebrietatem accerſunt. Max. Tyrius.

5. Habent autem ferè ſingulæ gentes liquores patrios quibus potiſſimùm utuntur. Sed nec peregrinis importatis, modo generoſi ſint, parcunt. *Tertræus in Hiſt. nat. Antillarum* piſcis meminit, qui comeſtus non ſecùs inebriat, atque merum largiùs ſumptum.

Hemiſphærium arcticum ſolum vini ferax.

Benigniſſimè temperatæ noſtri hemiſphærii *Zonæ* natura conſuluit: ea enim ſola vinum liquorum nobiliſſimum generat, quò & indigenæ, et alii ad quos invehitur ſe exhilarant. Et eſſet optandum; quòd eodem ultra lætitiam non abuterentur. Apud *Italos*, & *Hiſpanos*, ubi optimum uberrimè provenit, ferè exolevit ebrietas; inter quos olim erant *bicongii*, et *tricongii*: quod eorum laudi ſit, niſi alia vitia in ebrietatis locum ſucceſſerint.

Muhamedani vinum reſpuunt.

Muhamedis ſectæ vino eſt interdictum; ſed Plurimi præſertim *Turcæ* non ſic abſterrentur, quin ſubdolâ ſtropha, legem et conſcientias ſuas eludentes clam affatim hauriant: ſe vero innocentes pronunciant quòd neque inſeverant vites, aut

vinum

vinum expresserant. Septentrionales, ubi vitis deficit, potum è frugibus, aut melle pro vino parant.

Quarè *Angli*, *Germani*, & quotquot ultra eos ad Arctum vergunt, *cervisiâ* utuntur; uti *Moschi*, *Sarmatæque* insuper *Hydromelite* & *Methy*, quorum strenui potatores sunt. *Septentrionales pro vino cervisiâ aut hydromelite utuntur.*

Ad austrum & citra & ultra *Tropicum Capricorni succus palmæ*, quæ nuces fert, quas *Lusitani cocos* vocant, vini præbet imaginem & usum. *Australes succo palmæ.*

Et in *Americâ* radices, quæ Cereris dona mentiuntur, & *Bacchi* vicem supplent. *Americanorum potus.*

Multos alios potus excogitavit luxuria aut necessitas, quos sigillatim dispiciemus.

CAP. IV.

De Vino.

Vinum.

1. Irasceretur *Bacchus*, nisi omni liquori nobilem uvarum succum velim præponere, quippe qui tot nominibus illam prærogativam meretur: ut à quibusdam οἶνος ἀπὸ τῆς ὀνήσεως deduci videatur; quod etymon ipse admitterem, nisi aliud probabilius nossem. *Vitis*, sive sit frutex, sive arbor, ut *Theophrasto. lib.* 1. *cap.* 5°. aut medium quoddam, ut *Columellæ lib.* 11°. visum est, à *Tropico Capricorni* ad gradum quadragesimum nonum vini ferax est; quotquot supra istam plagam crescunt, uvas crudiores & succi tenuis producunt: quia solaribus radiis minùs excoctæ sunt.

Vini etymologia.

3. Illam in oriente primùm cultam fuisse perinde atque plerique fructus generosi, si sacræ literæ siluissent, evinceret vini notatio: nam omnia ejus nomina à יין Jain voce Hebræâ idem significante in linguas *Europeas*, derivantur: qualia sunt οἶνος, *Vinum*, *Wine*, &c. Ex illis plagis vitis in ultimum occidentem propagata pro Cœli solique varietate innumeras produxit species; è quibus tanta vini diversitas ut *Plinii* tempore 80. ejus fuerint nobilia genera, & ex eo numero duæ partes *Italiæ* fuerunt, & quanquam illorum pleraque cultorum incuriâ aut soli fatigatione jam interciderunt, tamen novis subinde exortis, non

Speciei diversitas.

non minor est hodie copia,, aut varietas, unde nunc *Romæ* triginta ferè vini generosi distinctæ species numerantur.

Tota quidem *Italia* vini boni fæcunda est; at *Campania* præ aliis regionibus *Bacchi* dotibus semper superbiit: nam racemi ejus præter viciniores solis radios, proprio telluris Sulphureæ tepore ad maturitatem coquuntur. Et reverâ in plagis calidis ubique vina sunt fortiora, & magis Sulphurea, ideoque spiritus suos meliùs retinent. Loca autem, quæ langidiùs tepent, vina ferunt tenuia, & spirituum malè tenacia, itaque nisi cautè asservantur, aut citò acescunt, aut in vappam degenerant. Porro natura soli cujusque vitibus aliquid sui addens, & partes vini constituentes pro suo modulo, varie disponens, ubique insignes vinorum differentias efficit. Unde (inquit *Plin.*) tot vina, quot agri. *Ubi optime crescit vitis.*

3. Vini partes in ejus anatome separabiles sunt *Essentia* ejus *subtilis*. i. e. *spiritus*, *seu alchohol*; dein *aqua insipida* corruptibilis, tum *Sal volatile* instar fumi ascendens, oleum quoque, seu Sulphuris pinguis aliquantulum prodit; è capite mortuo sal acre extrahitur, quod inde superest, terra est damnata omnino inutilis. *Vini anatome.*

4. *Uvæ* sereno tempore sunt colligendæ, è quibus, quod sponte, antequam calcentur, profluit, protropum dicitur: succus expressus, & recens è lacu, turbidus est, propter particulas fæculentas, quibus oppletur: nec nisi à fermentatione clarescit. Fermentatio autem in musto ob copiam spirituum sponte oritur: repositum igitur in doliis apertis, (dissilirent occlusa) vehementer effervescens quasi igni subjecto ebullit, in hac liquoris commo- *faciendi ratio.*

tione spiritus & alia principia activa exaltata, & dominii potita, partes terrestres, aliasque fæculentias deturbant, quæ partim ad vasorum latera obliquè detrusæ illic hærent & Tartarus fiunt: partim ad fundum subsidunt, & fæces sunt, quibus continentur sal, sulphur, multum terræ, & spiritûs aliquantulum.

Asservatio. 5. Magna in vini duratione est diversitas; pleraque sunt facile fugientia, alia supra fidem durabilia. *Vina generosa* ἀνθοσμίαι in gleba ubere, & sub optimâ Cœli temperie nata non citò corrumpuntur, sed in secula aliquot durant senio quotannis proficientia, si asserventur ab externis injuriis immunia. Ejus modi vina gustui sunt jucunda, quia omnes partes habent perquam subtiles, utpote multa Cœli cocturâ elaboratas; & diutissimè integra in vigore perstant, quòd spiritibus, & sulphure puro abundantia non sui salis, aut aliarum partium, vim, aut injurias, sentiunt. Vina, quæ *L. Opimio* consule in *Italiâ* diffusa erant quod erat anno ab urbe conditâ 637°. usque ad *Plinii* tempora durarunt, ducentis ferè annis in speciem mellis asperi redacta, nec potari per se poterant, nisi pervinceret aqua: sed minima aliqua ejus mistura cætera vina commendabat.

Quæ vina lædunt. 6. Externa vinis hostilia sunt nimii calores, aut frigora intensa, hæc spiritus eorum obtundunt, aut fugant, illi eosdem eliciunt, & sal acuunt; unde liquor brevi acorem contrahens fit acetum. Itaque acetum facturi liquorem sub dio exponunt. Fulgetra etiàm nonnunquàm uno impetu spiritus liquorum dissipant. Tonitrus, aliive sonitus vehementes eorum crasin pervertunt, com-

commotio enim aeris, quæ in ſonitu edendo fit, ſpiritus fugat, aut partes terreſtres prius præcipitatas excitans eoſdem deprimit. Sed ab his incommodis, apothecis ſubterraneis ferè cavetur.

7. Sunt quædam vini ægritudines, quæ non aliunde, quàm ex ejus ſinu oriuntur: quibus œnopolæ mederi ſat ſciunt, utinam non etiam adulterare, aut jam deperdita & corrupta artificio ſuo fucata pro bonis obtrudere. *Vini ægritudines & remedia.*

Vina nonnunquam poſt fermentationem manent turbida, aliquot particulis terrenis in liquore diu hærentibus. Vinitores, igitur defæcationem ſponte naturæ non ſuccedentem, arte maturant. Injiciunt enim marmoris aut alabaſtritis pulveres, ſilices calcinatas, *Ichthyocollam* etiam, aut ovorum albumina, quorum operâ fæculentiæ innatantes exterminantur. Viſcoſa, ut *Ichthyocolla*, in vinis fortioribus fæces volatiles ſublimando ejiciunt, in tenuioribus deturbant.

8. In vinis utcuuque defæcatis ſubinde oritur efferveſcentia, & ebullitio ſatis vehemens, ea interdum à ſuo Tartaro emicante ob ſpiritus aliquot, in eo detentos, & ſeſe liberare ſatagentes, excitatur; aliàs fit à nimiis caloribus, agitatione, aut aliquo hoſtili corpore injecto, noſtrates nominant hoc vitium. *Fretting of Wines.* Huic morbo occurritur transfuſione vini efferventis in aliud vas, relicto Tartaro luxuriante, priuſquàm rancorem, aut acorem indebitum contrahit.

9. Interdum efferum Sulphuris in vino tumultuantis motum lacte infuſo demulcent: ſed vina eo artificio emendata haud diu incorrupta perſtant: quamobrem à cauponibus œnopolis

 quam-

quamprimùm licet, divendi solent.

10. In his effervescentiis, & principiorum vini luctâ, Sulphure nimis evecto, vina sæpe fiunt lentescentia, pendula, aut sale subtiliato acescunt. Priora admistione aluminis combusti, calcis, marmoris candidi pulverati, & præcipuè lixiviæ è cinere sarmentorum aliquatenus ad se redeunt: & eisdem tollitur ranciditas. Vinis ad acorem vergentibus aut aliter sapore peccantibus vinitores præter præcipitatoria, alia adhibent remedia, saccharo enim, melle, defruto, sapa, & tritico elixo, eis gratiam afferre student. Porrò fragrantiam vino malè olenti aromatis, qualia sunt *Cubebæ*, *Zedoaria*, *Cinnamomum*, *radices Iridos &c.* Sacculo suspensis conciliare nituntur, sed ægre efficiunt.

11. *Vina* quoque *decolorata*, ut omni sensui simul placeant, artificiosè emendantur: si alba fuerant, lacte, amylo, aut *Ichthyocolla*, candorem vinitores reducunt: rubellis colore peccantibus betæ rubræ radices, *Baccarum Sambucinarum*, aut mororum succos adhibent, ut prunorum Sylvestrium succo, præter colorem, austeritatem desideratam quærunt.

12. *Vina depauperata*, & plane fugientia Vinarii artifices apud nos non statim pro deploratis habent quin artificio aliquo animam fugientem reducere, aut novam inducere conantur. Talia igitur recentibus ditioris vini fæcibus perfundunt, ut earum afflatu novos spiritus, & vigorem concipiant, confectionibus etiam è vino generoso, & aromatis vires eorum instaurant; carnibus quoque quibusdam pascere feruntur: porro ramentis abiegnis in eundem finem utuntur;

tur: quòd *terebinthinæ*, quæ in eis continetur, tenacitate ſpiritus vini detineantur. Vina autem ſic emendata, caput tentant, & hoc veterum artificium erat, non recens inventum.

13. Sed vino fugienti, & exoleto utcunque ſit tenue, nullum præſentius eſt remedium quàm *aigleucos*, id eſt, muſtum arte à fermentatione prohibitum, donec fermenteſcere dedidicerit, (noſtris vulgo *ſtum*) modicum ejus vaſi pleno immiſſum toti liquori gratiam ſaporis, & vigorem conciliat: ſed quia ſanitati potantium ſæpe fraudi eſt; quòd fermentationem gravem in ſanguine ſubinde ciet, lege interdicitur.

Oenopolarnm fraudes.

Tædet ſanè omnia, quæ accepi, cauponum mangonia recenſere, quibus incautis potoribus fucum faciunt & quoties libet Falernum impunè jugulant, modos duntaxat quibus adulterant vina nobis uſitatiora, paucis ſubjiciam.

14. Vino à *Canariis inſulis* delato, & imprimis illo εὐώδει quod viviradicibus à *Rheno* petitis, naſcitur plerique noſtrorum vini potorum delectantur: at quod illius non tanta eſt copia, quanta expetitur: pſeudocanarinum ex *Hiſpanico Malacæ* molli, & *Xereſino* conficiunt. *Vinum* vulgò *Claretum* dictum mentiuntur album tenue, rubro auſtero, & ſucco *prunorum* ſylveſtrium aut meſpilorum inficiendo.

Pro *Malvatico*, *ſeu Chio Rhenanum* uvarum paſſarum decocto dulcoratum ſubdunt.

Vina dulcia Cretica, ſeu alia, quæ vulgò *Muſcatella* dicimus, hepſemate *Hiſpanici*, addito Saccharo, & ſemine coriandri, imitantur œnopolæ. *Dodonæus* in *Herbario*. *Gallica* tenuiora melle aut ſaccharo, temperata, & ſemine

Hormini

Hormini sativi imbuta *Rhenanum* novellum mentiri cogunt.

Has fraudes, dum citra valetudinis dispendium fiunt, leviùs feras: sed scelus est lenociniis bibentes in vitæ discrimen conjicere, quod faciunt, qui vappæ, aliisque liquoribus exoletis passulas putridas immitentes cum aromatis cariosis vina adulterant, quæ pro laudabilibus, emptoribus incautis obtrudunt, non sine gravi incommodo: unde *Plinius* exclamat de istiusmodi imposturis: *Tot veneficiis placere cogitur; & miramur noxium esse vinum?*

Vini virtutes & vitia.

15. Vino optimo non opus est hederâ, quæ emptores alliciat, nec virtutes ejus egent præconio; satis notæ sunt vires *Cardiacæ* dictæ, quibus cor languidum, creditur recreare etsi reverâ sanguinem primariò afficit, non cor. Haustus vini generosi sanguini statim intimè unitur, cui motum vegetum, & vigorem conciliat, novumq; spirituũ animalium commeatum cerebro subministrat. Sed pro ætate crasique varia qualitatibus differt. Novum enim flatulentum est, stomacho grave, insomnia parit: illud quod multâ ætate vires auxit, cerebro & nervoso generi vim citò infert; nec ferendum nisi paucum & dilutum. Quod dulce est & ἁδρομερὲς difficiliùs à corpore expirat: alvum periude ac mustum turbat; quod Molle est cum partibus crassiusculis nutrit; tenue, si album, stomacho est utile, & diureticum. Saturatè rubrum, & austerum valdè astringit. *Merum polyphorum* affatim haustum auxilio est eis, qui cicutam, taxum, aut opium assumserunt. Idem modò integrum sit, modicè sumptum cujuscunque generis, ferè prodest, sed nimium, aut malum tot af-

Vinũ õnis frigidi veneri ἀντιπαθὲς.

affert incommoda, ut quædam gentes eorum metu abſtemiæ eſſe legibus teneantur: alii nè *oligophorum* quidem niſi aliquâ *aquâ* temperatum bibunt.

Vina *Romanis* legibus mulieribus interdicta erant & tempeſtiva principibus, à ſacris literis. A *Muhamede* omnibus ſuis aſſeclis prohibentur.

Plato 2. *de leg*, inquit, lege ſancitur ne puer ad annum duodevigeſſimum vini uſum ſciat, quòd ignem in corpus & animam ſuggerit. Senibus verò vinum modicè ſumptum adverſus ſenectutis incommoda optimum eſt remedium. Idem *Galenus lib.* 1. *de tuenda ſanitate cap.* 9. *tradit.* *Idem Galen. lib. de tuend. ſan.* 1. *cap.* 9.

CAP. V.

De Pomaceo, pyraceo, & aliis fructuum ſuccis.

1. POpulis ad quos *Bacchi* benignitas non extenditur, quibuſdam *Pomaceum* pro vino patrio eſt: cujus liquoris inſignem copiam noſtræ inſulæ *Pomona* non gravatè ſuppeditat: in regionibus nonnullis aut ſponte, aut levi agricolæ induſtriâ, etiam in ſepibus tanta invenitur *malorum* copia; quanta incolarum potui ſufficiat. *Pomaceum.*

Et quia iſtarum arborum ſpecies ſunt innumeræ; maxima item eſt liquorum à fructibus earum expreſſorum diverſitas. Qui à fructibus æſtivis & fugacibus exprimitur; haud diu in vigore perſtat: quin citò pervertitur: ſin è crudis, & auſte- *Pomacei ſpecies.*

austeris conficitur, nondum ad maturitatem perductus acescit. Spiritus enim, qui in pomis non erant elaborati, à liquoris fermentatione nequeunt evehi: at in priore casu nimis liberi citò aufugiunt: antequam plenè fermentatur. *Poma* huic usui maxime idonea sunt dura & penè sylvestria, quæque non nisi longo tempore ad maturitatem perveniunt, at eam adepta diutissimè in eâ perstant incorrupta.

Ratio faciendi. Succi fructuum expressi doliis infusi non secùs ac mustum, modò spirituum satis suppetat, effervescunt; quo motu fæcibus ad fundum vasis deturbatis, liquor depuratur, si hujusmodi defæcatio non ritè succedat, arte opus est: ut peragatur: quippe, ni fieret, liquor statim corrumperetur, fæces enim innatantes sunt carnium pomorum particulæ putredini æquè ac ipsa *Poma* obnoxiæ. Quamobrem nonnulli depurationem pomacei plenam *Ichthyocolla* in vino solutâ moliuntur: & quoties de acore periclitatur sinapi vasi injiciunt; aut depromptum in utribus testaceis, aut vitreis strictè occludunt; ubi spiritibus à fuga detentis, & sale nonnihil evecto multa gratia liquori accedit.

Pomacei dotes. Singularem hujus potûs salubritatem passim testatur experientia: nusquam enim videas saniores, magis vegetos, aut meliùs coloratos, quàm ubi vulgò bibitur. Insigne ejus rei exemplum habet *Verulamius Fr.* Bacon. *in Historiâ vitæ, & mortis*; ubi refert octò senes prope, aut plusquam centenarios, (nam singulorum ætates collectæ in summam octingenti erant anni) ex eadem viciniâ

Hist. vegetos, juveniliter *Pyrricham saltâsse*; qui omnes totâ vitâ, pomacei potores fuissent. Certè in scor-

ſcorbuticis melancholicis, aliiſque morbis illum liquorem, modò bonus ſit, & defæcatus, plurimum valere vulgaris obſervatio eſt, quotidianis experimentis comprobata: nervoſum etiam genus minùs quam vinum tentat, ſtomacho æquè gratus.

2. Liquor è pyris maturis expreſſus *pomaceo* confinis eſt; ſed utilitate cedit, etiam bibentium ſtomachum inflat, & copioſè hauſtus alvum nimis ſolvit, ſaltem ſi dulcis ſit: qui paratur è pyris nimis auſteris poteſt valdè aſtringere, nam ut fructus, ita & liquores pro ſapore differunt, conficitur eodem modo quo *pomaceum*; & eis qui ei aſſueverunt: pro potu familiari eſt. *Pyraceum.*

3. Quia grata eſt varietas, plurimos fructus, è quibus latices potui, modò ritè tractentur, idonei, poſſunt exprimi, natura produxit, quare è *ceraſis*, *prunis*, *moris*, *& groſſulis*, paratur *Villum* æſtivo tempore refrigerans & gratum, neque contemnendi ſunt ſucci fructuum ſylveſtrium, *rubi vulgaris*, *& Idæi* ex iſtis enim nonnulli potum conficiunt. E malis Cydoniis ſuccus vinoſus exprimitur ſtomacho utilis, diureticus, prodeſt etiam cœliacis, dyſentericis, hæmoptoicis, & cholericis, ſed ſingulis quindenis ſucci ſextariis, unus mellis adjiciendus nè in acorem citò vergat. Horum omnium ſpiritus exiles ſaccharo, aut melle retinendi, aut adiuvandi, alioquin citò fugiunt liquore in vappam ruente. *Villum è prunis, ceraſis, moris groſſulis & ribes.*

Qui potuum iſtorum proprietates noſſe cupit; fructuum, unde fiunt, facultates conſideret.

4. Superiori ætate inventi ſunt fructus nulli veterum cogniti, inter quos primas tenent *Ananæ; ſeu pinæ* dictæ *Braſiliâ* oriundæ: ſed nunc om-

omnibus *Indiæ*, & *Americæ* locis, in quibus per frigus possunt crescere, disseminatæ. Harum succus potus est jucundus; refrigerans, at biliosis & calidis temperamentis convenit.

Vin. ex ananis.

Nuces item, quas dicunt *Cocos*, nondum plenè maturæ liquorem dulcem exhibent & gratè refrigerantem: ideoque calidæ hepatis intemperiei auxiliatur. Arbor alium profert laticem, de quo, suo loco proximo capite dicetur.

Latex è nuce cocó dicta.

Æthiopes è fructu quodam vinum suum *Sebansfcou* dictum conficiunt.

Sebansfcou.

5. In *Carebeis insulis* pomum arboris *Acajou*, in *Peru & Chile fructus murtillæ* liquores vini æmulos præbent, & stomacho utiles.

Vin. acovinum.

6. *Brasiliæ* usibus fructus arboris *Pacobebe* potum præstat; & poma *Ocaibæ* contusa, & pressa liquorem reddunt lactescentem: qui tandem depuratus potantes inebriat. *Margravius.*

Vin pacobeb & ocaibâ.

7. In potu nautico dicto *Palopuntz, nostris punch, succus limonum sylvestrium* est basis, cui vim inebriantem *arracke*, seu spiritus vini afferunt, saccharum aciditatem mitigat.

Punch.

8. *E caryotis*, (*palmulæ* genus est) succo suo uberrimis, præcipua vina orienti sunt, sed capiti iniqua, unde pomo nomen. *Vinum è punicis malis* expressum nauseæ, choleræ, hæmoptoeæ, & diarrhœæ medetur.

Vin. caryotæ palmedum.
E punicis.

E myxis, fructu arboris in Oriente familiaris, *Arabibus* medicis, & officinis nostris *sebesten* dicto in *Ægypto* fit vinum. *Plin. lib.* 13. *cap.* 5. quod biliosis temperamentis prodest. Et ejusdem facultatis fuisse vinum è *Zizyphis* videtur.

E myxis.

CAP.

CAP. VI.

De succo arborum extillante.

1. LAchryma, seu succus vegetabilis aliquarum arborum, quibusdam potus est, non minùs utilis, quàm facilè parabilis, qui ad præcipuos fructuum succos proxime nonnunquam accedit, nonnullos superat. *Lachrymæ arborum.*

In insulis, & maritimis *Indiæ, & Africæ* etiam, passim crescit arbor *palmæ* specie non absimilis *Theophrasto in lib. 3°. de Histor. plantarum cap. 2. cuciophora* dicta, qui eam ibi describit, hodie quoque ab incolis locorum, quibus tales crescunt, & advenis *Coco* dicitur. *Indi* harum arborum domini non minus emolumenti ab eis percipiunt, quàm *Europæi* è pecore; nam singulæ pleraque ad vitam necessaria præstant, supellectilem, vestitum, cibos, & quod maximè in rem nostram est, liquoris potabilis abunde: quem cultores è ramusculis unde flosculos decerpserunt, in vasis apte appensis excipiunt, eumque pro potu familiari usurpant, linguâ vernaculâ *Suram, aut Taddy* vocantes ex hoc latice insolato, acetum ex eodem decocto, Saccharum faciunt: spiritus quoque vinosos destillando eliciunt. Iste potus recèns depromptus ori suavis est, stomacho gratus, calidisque Hepatis & renum affectibus utilissimus: ejus beneficio *Seres* longævi fuisse perhibentur. *Cuci.* *Sura aut Tody.*

2. *Helmontius libell. de lithiasi cap. 8. succum Be-* *Betulæ.*

tulla

Succus Betulæ. *tullæ* laudat, scribitque principibus quibusdam *Germaniæ* fuisse vernaculum, ejus usu à *lithiasi* præcaveri: eumque in vigorem oleo olivarum affuso vindicabant. Certè non tantùm *Germanis* sed aliis gentibus idem hodie factitatum est. Liquorque salubris, & potui maximè idoneus depromitur, qui si ramulis decisis extillat, meracior erit eò, qui è trunco arboris pertuso depromitur, spiritus hujus laticis sunt magis *fugitivi*, quàm ut commodè diu possit integer servari.

Itaque nonnulli adjectâ singulis congiis sacchari puri librâ unâ eum decoquunt, dein fermentatum dolio recondunt, unde post aliquot dies in lagenas depromunt loco frigido asservandas, nè spiritus liquoris efferus, commotus eas disrumpat: depromendus est ex arbore initio veris, antequam folia explicantur. Multi medici insignes ejus efficaciam in calculo renum, & vesicæ, stranguriâ, & phthisi scorbuticâ non immeritò celebrarunt.

Succus acerum. 3. *Acer majus* vulgo nostro sed falso *sycomorus* dictum trunco, ramis, aut radice cæsis dulcem, & potulentum succum copiose emittit, idque potissimùm gelidâ, & pruinosa Cœli constitutione cum in betulâ contrarium evenit. *J. Rajus.*

4. Ex *acere* item *minore* inciso ejusmodi potus uberrimè emanat, necnon è *Juglandis* radice terebratâ; quem insignis *Boylius in lib. de utilitate Philosophiæ part.* 2. in multis morbis mira præstare scribit, Podagræ dolores sedare asserit *Schroderus in pharmacop. chym.* *Succus juglandis.*

5. In *Cyrenaicâ* regione crescit frutex *Paliurus*, cujus succo vina olim commendabant: imo eodem pro vino, usi sunt *Troglodytæ*. Sunt, quibus *Vinum è paliuro.*

bus *paliurus Theophrasti*, *Zizyphus* recentiorum videtur, de cujus fructûs succo capite superiore memini.

CAP. VII.

De Potulentis è Melle aut saccharo.

1. UBicunque natura vites, aliasve arbores quæ potum ferant, non concessit, humana solertia liquores potabiles e *melle*, *frugibus*, aliisve, quæ spiritibus scatent, *aquâ* infusâ substituit.

2. *Lituania*, *Polonia*, & *Tota Muscovia ferè* sylvosæ regiones à *Mari Caspio ad circulum usque Arcticum* melle abundant. Nec mireris, qui fiat, ut apes hyeme longà, & frigoribus intensissimis possint substare; cùm constet, hyemis inclementiam licèt gravissimam perpetuâ æstatis serenitate abundè pensari: eâ igitur tempestate apiculæ tantum mellis colligunt; ut eo, suoque calore Hyemes facilè ferant. Quamobrem istarum regionum incolæ tantum *Hydromelitis* quotannis parant: ut vix alio potûs genere opus sit, eoque perinde delectantur ac vino quamtumvis generoso: imo ei suum melioris notæ *Hydromeli* non dubitant præponere. *Hydromeli ubi abundat.*

Conficitur plerumque admiscendo aquæ Cœlestis vel fontanæ tantum mellis, quantum ovum liquori innatans sustineat; quem liquorē decoquunt, donec aliqua ovi portio aquam supereemineat. *ratio faciendi.*

Dein singulis *Hydromelitis* refrigerati quindenis congiis aromatum crassè contusorum circiter uncias addunt: postea eidem doliis recondito fermentationem promovent.

Exinde depuratus, post mensem in utres depromptus, optimè servatur; à nonnullis aliquandiu insolatur ut sale acui incipiente mellis fastidium tollatur, & dulci ab acido temperato gratior sapor potui concilietur.

Asservatio. Diversitas ab infusis. Gentes supra dictæ, ut *Hydromeli* strenuè potant, ità ejus σκευασίαν præ aliis callent. Et *mora, cerasa, fraga, aut fructus rubi Idæi, vel vaccinia* in *aquâ* macerando jucundam coloris, & saporis diversitatem inducunt.

Nonnulli nostracium simile quippiam herbis fragrantibus *Thymo, rosmarino, aut cynobato redolenti*, sed successu non æquè fælici, moliuntur.

Melicratum. 3. Ubi magna est *Mellatio*, è favorum, & vasorum loturâ *melicratum* dilutius, & quasi *lora* paratur in domesticum, & viliorem potum. Potibus hujusmodi mellitis, ut salubres sint, ætate opus est: nimis enim recentes stomachum inflant, & suæ dulcedinis satietate nauseativâ nimiùm gravant, ætate verò proficientes vinosi evadunt, *Usus hydromelitos.* ori suaves, & stomacho utiles. Calfaciunt, appetitum languentem excitant, alvum molliunt, *Tussientibus, Phthisicis*, & *Ictericis* auxiliantur, & necesse est potum tot virtutibus præditum longævitati etiam conferre.

Biliosis verò temperamentis picrocholis, & μεγαλοσπλάγχνοις, in febribus etiam ardentibus & colliquativis sunt noxii.

4. Medicis sunt aliæ mellis compositiones, *Oenomeli*,

nomeli, *omphacomeli*, *oxymeli &c.* quarum materiam nomina monſtrant.

Oenomeli, multum, è muſti optimi partibus & mellis quintâ conficitur, & in uſum familiarum ruſticarum, olim quibus vinum non defuit aſſervatum eſt. Ventriculum calfacit, nutrit, tracheæ aſperitatem lenit, & ſpiritus tranſitum impeditum expedit. *Oenomeli.*

Omphacomeli è ſucco uvæ immaturæ, & melle confectum olim erat in uſu multo; & in febribus juleporum vicem præſtitit. *Omphacomeli.*

Sitim reſtinguit, in diarrhœâ, dyſenteria, nauſeâ, anorexiâ, picâ, ſtomachi debilitate multum prodeſt.

Oxymeli ſimplex, Acetum mulſum, attenuat, incidit, aperit, ſputum educit, ſitim ſedat. *Oxymeli.*

5. *Saccharum* perinde in potu, atque in cibis mellis vicem poteſt præſtare. Itaque *Æthiopes* ſervi, qui Saccharopœis in ejus præparatione inſerviunt è rubro, & craſſiori Sacchari genere potum familiarem ſibi faciunt: qui Zingibere aromatizatus Melicratum aliquatenus refert. *Hydro Saccharũ.*

Et non ita pridem quidam Cerviſiæ coctores, gliſcente frugum caritate, potum è paſſulis vilioribus, & Saccharo vix melioris notæ fermentatum confecerunt, quem in commeatum nauticum vendebant, pacti niſi totâ navigatione in vigore perſtaret, ſe damnum reſarturos. Certè pleraque dulcia ejuſmodi artificio tractata potum exhiberent non ingratum, quippe cum per ſe figurâ partium guſtui placent; ſi quod ſpirituoſi continent fermentatione id evehitur & quicquid ſalini habent, leviter aciatur. Et exinde li- *Cerviſia è Saccharo.*

quor non illaudabilis, & saporis quidem vinosi evadit.

CAP. VIII.

De Cervisiâ.

Cervisia. 1. Potûs è frugibus confecti usus longè antiquior est, quàm vulgo creditur. Constat enim veterum authoritate magnam orbis partem etiàm ubi nunc vina egregia abundè proveniunt, *Cererem* pro *Baccho* habuisse è frugibus, non vite vinum habentes.

Zythum. *Zythum* antiquitùs *Ægyptiorum* fuit potus, inde *Columellæ Pelusiacum* dicitur. Materiam, unde parabatur, ostendit *Aristoteles* dum scribit, fuisse *Zythum* οἶνον κρίθινόν. Vinum hordeaceum: *Æetius* eorum popularis *Serm.* 19. *cap.* 19. ejus præparationem describit ubi ait Βύνη ἐστὶ κριθὴ βεβρεγμένη καὶ βλαστήσασα καὶ πεφρυγμένη μετὰ τῶν γλωσσιδίων. i. e. hordeum madefactum, quod regerminans cum ligulis enatis torretur.

Cælia. Ejusdem farinæ fuisse *Cæliam Hispanorum* & cervisiam *Gallorum*, par est credere, nomina ejusdem rei diversarum gentium linguis discrepantia. Sic *Curmi*, *Sabaia*, *Brytum barbara* erant ejusdem liquoris synonyma apud *Phryges*, *Illyricos*, & *Thracas* usurpata, *Cervisia* apud Latinos receptior est.

Curmi. *Sabaia.*

Byne, i. e. malt. *Byne*, *seu Brasium* vulgò *malt* è quovis frumento, vel legumine potest confieri: sed præcipuè

cipuè ex hordeo, aut tritico parari solet. At potus pro frugum specie nonnihil differt.

2. *Cervisiam* parandi ratio ubique ferè eadem est: vizt, farina brasii in aquâ coctâ aliquandiu maceratur, & liquor particulis ejus activis impregnatus in cortinam exantlatur denuò coquendus; ut commistio sit plenior & consistentia crassior. Incoquuntur ei plerumque *lupuli salictarii* flores, nonnunquam *genista* aut *absinthium*; nè præproperè acescat. *Germani*, inquit *Polydorus Vergilius de rerum invent. lib.* 3. *cap.* 2. *lupum* herbam *cervisiæ* admiscent, sed idem omnes Septentrionales nunc faciunt. Hujusmodi amaricantia salinas liquoris particulas, sale suo volatili retundunt, & spiritus alioqui fugitivos in officio continent. Liquor autem iste etsi percoctus, non est absoluta *cervisia*, nisi debita accedat fermentatio: quæ, ubi refrixerit, adjectis *cervisiæ* alius floribus, excitatur: tanto autem promptiùs oritur fermentatio, quantò liquor farinâ brasii saturatior; & spirituum sit abundantior. *Cervisiæ sceuasia.*

Cervisia ab amaris incoctis primùm amarescit; sed postea sale iterum emicare incipiente vinosa evadit & sapore jucunda. Potus ita paratus à nostris, aliisque quotquot sermone *Teutonissant*, dicitur *Beer*. Sin sine lupulis, aliisve analogis, fiat, nobis & *Danis* nominatur *Ale*. Cui recèns cocto multi betulæ ramos adjiciunt: ut ab eorum succo subacido nonnihil acoris contrahat, & usui sit statim idoneus. Alii præsertim *Angli Septentrionales Chamæcissum* in dolia immittunt, cujus operâ nychthemeri spacio liquor depuratur. *Alla* videtur deduci à vocabulo, *all* quod istis gentibus *Alla.*

gentibus, totum, significat quibus instar omnis alius victûs & cultus sit. Fuerunt, qui potus hordeaceos injuriæ renibus, & nervoso generi allatæ postulârunt: sed calumnia nunquam valuit apud eos, qui nôrunt, quam vegeti, & longævi sint, qui alio potu non utuntur.

Usus.

Cervisiæ laus. Certè *cervisia* ritè cocta, & satis fermentata, diuque servata modò integra sit est saluberrima; nec nisi corrupta, aut immodicè hausta unquam nocet: & constat *Zythopotas œnopotis* esse habitiores, quare *cervisia* magis quàm vinum alit.

Pallada in epigrammate quodam, de *dizythio* meminit: cujus usu à febre *Hepiala* liberatus est. Quod *Erasmus* in proverbio *Crotone salubrius*, duplicem cervisiam fuisse conjicit: sed febrim ciebit citiùs, quàm sedabit vinum simplex aut *cervisia* duplex.

Dizythium.

Salernitani hoc disticho *cervisiæ* dotes describunt.

Crassos humores nutrit cervisia, vires
Præstat, & augmentat carnem, generatq; cruorem.

CAP. IX.

De aliis quibusdam liquoribus potulentis è frugibus confectis.

1. IN multis locis, in quibus aliæ fruges non fælicitèr proveniunt ex *avenaceo brasio* fit potus gratus nec insalubris.

2. Potus est apud *Saxones* celeberrimus dictus

ctus *Mum. Brunswici* præcipuè coquitur, & è *Brasio* supra modum tosto, eoque ferè triticeo, cum *Cardamomis* aliisque aromatis, & radice *Helenii* incoctis conficitur. Spirituosus est, & stomacho utilis. Nuper *Londini* fieri cœpit. *Mum.*

3. *Hecatæus* in *Europæ periodo* prodit *Pæonas* ex *hordeo Brytum*, at *Parabiam* è *milio & conyzâ* confecisse. Et *Olearius Holsatus* in itinere *Persico* observavit *Tartaros Maris Caspii* accolas è milio potum fæculentum habuisse citò inebriantem quem dicunt *Dragga*. Et consimilis è *panico* confieri solet. *Parabia.*

4. Sunt item ex *Afris*, quibus liquor ex isto frumento ad regerminationem madefacto, & sole siccato pro potu familiaris est. *Cervisia Libyca.*

5. In oriente *Oryza* artificio alio tractata potum parit inebriandi facultate vix ulli secundum. Madefacta grana pilâ diu pista in massam cogunt. *Macassus.*

Cui fermenti paululum adjiciunt & postquàm deferbuerit, in *aquâ* diu macerant, donec liquor valdè spirituosus evadat: qui super suum magma servatus, ætate melioreſcit; cujus quod clarum est, in potum servantes *Macassum* dicunt: quòd verò fæculentum residet, cibis immiscent. Ex *oryzâ* itidem fit potus ruber dictus *Brum*.

6. Eâdem planè ratione è suâ *Maizâ Americanis* conficitur potus consimilis. Et è pastâ frumentaceâ fit liquor *Turcis*, & *Arabibus*, dictus *Chauset*. *Pot. à maizâ.* *Chauseta.*

CAP. X.

De potu è radicibus.

Bryton è rad. Scythicâ. 1. HEllanicus βρύτυ ἐκ ῥιζῶν *Bryti è radicibus* mentionem fecit: quas *Scythicas* fuisse suspicor; è *glycyrrhizâ* enim non exucca liquorem satis validum elicias, quippe radix ista per se ἄδιψος est & multo magis ejusdem recentis decoctum.

Mabby. 2. In *Insulis Caribæis* radix *Battata* dicta, & opsonium & potum præbet siquidem *aqua* pluvialis ejus ramentis impraegnata fermentescit, doliisque recondita dicitur indigenis *Mabbia*, quæ quatridui spatio potui matura est. Nonnulli verò succo pruni cujusdam dicti istis *Mombain* huic potui ampliorem gratiam conciliant.

Peranau. 3. Panis *Cassava* quem radices Yuccæ exhibent, *aquâ* fontanâ maceratus potum dictum *Peranow* præbet, usu, & sapore *cervisiæ hordeaceæ* ferè similem.

Pot. Brasiliensis. 4. Barbari *Brasiliæ* incolæ è radicibus suæ *Mandyuccæ* liquorem potulentum conficiunt; quo supra modum delectantur. Sed præparatio istius descripta nauseam faceret. Has radices vetulis *Fœda ejus sceuasia.* quibusdam edentulis tradunt: quæ ore emollitas aquam limpidam continenti expuunt. Saliva earum pro fermento est: unde liquori oritur *Zymosis*, quæ eum jucundum reddit, & tantarum virium, ut non alio debacchentur istæ gentes,

tes, quoties mactato captivo triumphantes festum agunt. Scilicet labris eorum lactucæ istæ immundæ conveniunt.

5. Caupones *Sinenses* in *Javâ* liquori cuidam *daturam* incoquere solebant; quo milites, & nautæ plus nimio delectati, frequentèr olim inebriabantur: insaniâ adeò periculosâ, ut lege opus esset, quâ cautum erat, nè amplius fieret, id genus potus. *Philib. Vernallus in Respon. Ad Reg. Soc.* curiosorum. *Potus Javensis.*

CAP. XI.

De vino ardenti seu Spiritibus meracioribus.

1. Spiritus à dictis liquoribus, fermentatione liberati sunt separabiles, & proinde caloris vi, & nonnunquam frigoris uniuntur, ab igni in recipiens aguntur, & sufficienti rectificatione phlegma suum ferè in totum exuunt: â frigore vehementi aliquando phlegmate congelante spiritus puri in dolii meditullium compelluntur. *Spiritus vini.*

In *Europâ* maximè celebres sunt *spiritus vini*, præcipuè *Gallici*, etsi ex hydromelite, cerevisiâ & horum omnium fæcibus magna spirituum copia elicitur.

2. *India* verò suam *uraquam*. i. e. *Spiritus oryzæ*, *palmularum*, & *Suræ*, quæ succus est arboris *cuciophoræ* præfert: & reverà in confectione *Palapunziæ* omnium consensu præferendi sunt.

3. In

3. In locis ubi ſaccharum coquitur è cannis ſaccharinis abunde liquoris ardentis deſtillatur, quem barbaro nomine dicunt *Rum* quo nautæ periculorum metum, & maris tædium; Indigenæ ſuas curas depellunt.

Rum.

4. *Sinenſes* è lacte ſpiritus quoſdam fortes deſtillatione elicere feruntur, & forſan non alius erat liquor dictus *Chuia* quem *Paulus Venetus* ſcripſit, à *Tartaris* ita fuiſſe præparatum, ut vinum album videretur.

Spt. Lactis.

5. *Sinenſes*, qui in *Javâ* frequenter cauponariam exercent, *uracquæ* genus ardentiſſimum ex *Oryzâ*, & quodam *Holothurii* genere conficere feruntur (Eſt autem *Holothurion Zoophyton* calloſum in mari fluitans) ita forſan dictum ab *Ariſtotele* quod θοῦρον id eſt, vehemens ſit, & huic liquori *Jac. Bontius de medic. Ind. lib.* 2. *cap.* 4. Dyſenteriam *Batavis Javenſibus infeſtam* imputat.

Vin. ard. ex oryza holothurio.

6. Ea fuit veterum temperantia, ut multi viverent abſtemii, pauci niſi dilutum biberent. Illi quidem *meri* vires *aquâ* temperabant: nos verò, ut meraciùs bibamus, aquam quam natura admiſcuit, arte detrahimus: ſed non ſine ſanitatis diſpendio: nonnulli etiam cum vitæ jactura. Vidimus quidem *aquam vitæ* ſæpe fieri mortis repentinæ cauſam: nimirum homines nimio ejus potu extinctos, ſpiritibus animalibus, quos reficere voluerunt, penitùs profligatis. Alii licèt *aquâ* ardenti nunquam inebriati, eam tamen ſubinde pitiſſando in malam conſuetudinem delapſi à periculoſâ *Sirene* avelli nequeunt: antequam viſceribus labefactatis in Cacochymiam immedicabilem incidant.

De uſu aquæ vitæ.

Vitia vin. ard.

Li-

Liquores tamen ardentes modicè sumpti, quoties opus, non libido postulat, plurimùm sæpe prosunt. Spiritus enim animales, labore, vigiliis, vel inediâ exhaustos promptissimè instaurant, nec stomachum gravant, sanguini languenti motum & vigorem restituunt: sed vergenti ætati, & frigidis temperamentis maximè conveniunt. Sunt duces, qui militibus prælium inituris hujusmodi spiritus copiosè propinant, ut fortitudinem augeant. Sed nequeo id probare, quod audaciam addendo consilium adimat, nec vera, & durabilis est virtus, cui istiusmodi cote est opus, forsan *Belluis* magis conveniat. *Elephantis*, (inquit *Ælianus*) pugnaturis non modò è vite confecti; sed etiam ex *oryzâ* factitii vini usus indultus est, quod utrùm *Uraqua* fuit, an *Macassus* supra descriptus, non liquet: certe fuit aliquid satis spirituosum; quod usus *belluas* ferre docuerat.

Virtutes vin. ard.

Militibus pugnaturis vin. ard. propinatur.

Elephantis etiam.

CAP. XII.

De liquoribus mistis.

1. Celebris cinnus apud *Indos* est *palopunzia*; quam è *Limonum sylvestrium* succo, *aquâ* rosaceâ, & suâ *uraquâ* componunt, pro *uraquâ Europæi spiritum vini* substituunt, quibus est potus nauticus: cui nautæ, & mercatores potissimùm indulgent.

Palæpunzia.

2. *Cerbetta* eâdem materiâ Præter *uraquam* *Cerebetta.*

aut

aut *spiritum vini* ferè constat: quæ potio in æstate *Syris Turcisque*, quòd multum refrigerat, & sitim optimè restinguit, in frequenti usu est.

Serbet. Nenuphar. 3 *Ægyptii* syrupo è saccharo, & *aquâ Niloticâ* succum siliquarum, & florum loti admiscent; & exinde potum gratum, & refrigerantem, *Arabice Cherbet Nenuphar* dictum conficiunt. E *citrullis* quoque quos *Chates* vocant, laticem exprimunt: cujus usus est egregius, in *Cherbettæ* optimæ confectione.

Duscab. 4. *Persæ* mustum generosum ultra mellis consistentiam coctum nominant, *Duscab.* cujus *sapæ* portio aliqua aquæ, & aceto mista potum reddit *Cherbettæ* similem & ejusdem ferè usûs, quo superstitiosè abstemii vice vini oligophori utuntur. *Olearius in itinerario*. *Persica* vox *Duscabh* à voce *Posca* non multùm abludit & materia fere eadem est.

Nectar. 5. Si crederemus, immortales *Nectare* Cœlesti lætari, quid esset, quæreretur; sed terrestre *nectar*, esse *Oinomeli Constantinus* testatur, aliique produnt, fuisse vinum ex *Olympo Lydiæ* favis permixtum, & floribus odoratis. Et verisimile est *Κυκεῶνα*, *Heroum* potionem apud *Homerum* cinnum consimilem fuisse.

Κυκεῶν.

Nepenthes. *Nepenthes* verò, & *Helenes* craterem nonnulli è buglossâ confectum conjiciunt quòd, inquit *Cælius*, vino injecta Hilaritatem inducit.

CAP.

CAP. XIII.

De Chocolatta.

1. NAſcuntur in *Mexicanâ*, & vicinis inſulis ad ventos ſpectantibus, fructus illis dicti *Cacoas*: è quorum nucleis, cum aromatis quibuſdam componitur maſſa; quæ nominatur *Chocolata*. Ea in liquore idoneo ſoluta fit potus cognominis, in *Americâ* ſemper uſûs maximi, & in *Hiſpaniâ* jampridem celebris nuper etiam in reliquis, *Europæ* tractibus ſatis notus. *Chocolate.*

Maſſæ dictæ compoſitio hujuſmodi eſt viz. ſingulis *Cacoæ Carraccenſis* libris, duodecim *Siliquæ* odoratæ arboris *Xochinacatli dictæ Hiſpanis Vanillæ*, admiſcentur *Memaxochitis* etiam. i. e. *Piperis Americani* Drachm. 3. Cinnamon electi Drachm. 1. ſſ. *Amygdalarũ de Bayle unciæ duæ, piperis rubri longi* Drachm. 1. ſæpe item in hâc ſceuaſiâ nuclei fructus arboris *Acchioti* adjiciuntur. His omnibus additur Sacchari puriſſimi lib. ſeſquialtera. *Achioti* ſiccare, refrigerare, & nauſeam tollere dicuntur. In præparatione *Cacoæ*, & *Amygdalæ* igni lento torrentur. Siliquæ, & aromata contuſa & cribrata in pulverem tenuem rediguntur, & omnia cum Saccharo piſta in formis chartaceis excipiuntur; dein maſſa formata in uſum aſſervatur, quæ quo recentior ſit, eo melior eſt: & forſan quo ſimplicior. *Ejus præparatio.*

In potûs confectione aquæ fontanæ, aut alius appropriatæ partibus octo, & ſacchari parti dimidiæ additur maſſæ pars una. His adjectis liquor

quor fervens ab igni ſemotus rudiculâ, donec multùm ſpumaverit, agitatur, & ſtatim calidus ſorbetur.

Sæpe vice aquæ lac recens animalium adhibetur; & nonnunqnam amygdalinum. Lactis amygdalini libræ dimidiæ adjicitur ſacchari unciæ dimidium; & paulilper coquitur dein immiſſâ maſſæ *Chocolatæ* unciâ etiam dimidiâ, liquor ſtrenuè quaſſatur.

Bilioſis loco aquæ fontanæ, aut lactis, aqua Endiviæ, aut Cichoreæ, vel emulſio quatuor ſem: majorum ſubſtituitur: ſunt, qui lapidis *Bezoardici*, aut ambræ portionem aliquam admiſcent, ut ſit cardiaca.

Chocolatæ virtutes. 2. *Chocolata* bona & rite parata (nam facile adulteratur) frigido ventriculo multum prodeſt, omnia viſcera corroborat, vires collapſas inſtaurat, unde phthiſi cautè adhibita ſæpe medetur. Venerem valdè proritat. Cui, licet ſæpius fræno egeat, aliquando ſtimulo opus eſt: & hic mihi in mentem venit Hiſtoriæ non illepidæ, quæ hujus potûs vires oſtendat: novi virum qui Phthiſicus,& pene deploratus àd *Chocolatæ* uſum ſe recepit: uxor etiam, ut viro complaceret,eandem bibit; miro utriuſque ſucceſſu .Nam vir brevi convaluit;mulierque priùs effœta habita ex eo gravida Filios peperit tergeminos omnes vitales.

In uſu hujus potûs, niſi mavis juſculum dici quædam ſunt obſervanda. *Hiſpani*, quibus familiariſſimus eſt, eam ſumpturi , priùs frigidæ hauſtum bibunt. Cum verò ſumpſerint, horam aut ampliùs à frigida abſtinent.

Manè commodiſſimè bibitur moderatâ doſi ad uncias quinque aut ſex; ſub horam ſomni ſump-

tus

tus nocet. Biliosis naturis nunquam convenit; uti nec aliis in tempestate præfervidâ. *Ex manuscriptis Hispani cujusdam generosi.*

Quanti apud *Americanos* sit Cacoæ fructus, docet alius ejus usus, quippe quod vice numi utuntur, eoque merces emunt: & quoties stipem mendicanti aliquid erogare libet, nucem cacoæ unam atque alteram conferunt.

CAP. XIV.

De Coffâ.

1. TUrcæ, *Arabes*, aliique orientales, quibus vinum bibere religioni est, potum dictum *Coffa* pitissando in tabernis, ubi venditur, desidentes tempus fallunt. *Coffa liquor Turcis familiaris.*

Qui mos paucis abhinc annis ad nos in ultimum occidentem migravit. *Ejus usus ad nos non ita pridem venit.*

Fuerunt, quibus persuasum erat; *Jus nigrum Spartanorum* non aliud fuisse, quàm hunc potum, quod non verisimile videtur, & *Pollux in lib.* 6. *Onomastici* disertè asserit, Jus nigrum, *Edulium Laconicum*, fuisse *αἱματίαν sanguiculum.*

Mihi quidem illud fuisse videtur, quod quibusdam *Hyposphagma* dictum, è sanguine hœdino, cum sapâ, caseo, aceto & herbis nonnullis, percocto confectum. Certe undecunque compositum, ejusmodi erat, ut vix aliis, quàm *Spartanis* stomachis conveniret: qui fame, & labore cibos, potumque condiebant. *Quid Hyposphagma.*

Fit autem *Coffa*, è baccis cognominibus ex *Arabiâ*, *Quomodo fit potus coffæ.*

biâ, Perside, aut Indiâ delatis, quæ ad ignem lentum tostæ molâ trusatili, aut pistillo in farinam rediguntur.

Hujus farinæ unciam unam, aquæ fontanæ ad dimidias decoctæ, & ferventis *lib*. 1. *ß*. adjiciunt: dein vase clauso bullire parumper sinunt:& exinde fit potabilis. Iste potus neminem ad sui usum suâ dulcedine allicit. Nam crustam panis ustulatam sapit. Sed quia ventriculi cruditates & morbos inde pendentes tollit, quos populi hydropotæ, & pauci exercitii facilè contrahunt, in quotidiano usu istis diu fuit, & non ita pridem à nostratibus receptus est.

Coffæ dotes. 2. *Coffa* moderatè sumpta, eis qui sunt frigidæ constitutionis, & plenioris corporis habitûs sæpe prodest.

Sed biliosis, melancholicis, & sanguine crasso præditis minimè convenit. Nam sanguinem particulis adustis vitiando nutritionem impedit, spirituum meatus obstruit, & semen minuit, unde nonnullis istiusmodi nimius ejus usus paralysin, aut veneris impotentiam attulisse observatur: observârat *Cl: Willisius*.

CAP. XV.

De potu Thea, potu Juniperino &c.

Thea. 1. NOs, qui omnium ferè gentium mores in cibis & potu recepimus, ab oriente sole usum liquoris dicti *Thea*, *vel Tzia* accersivimus. Nascitur in *Chinâ* & *Japonâ* frutex aut arbor myrti

myrti ſimilis, è cujus foliis vere collectis, & ad ignem aut ſole ſiccatis conficitur iſte potus incolis iſtarum regionum quàm maximè familiaris. In potûs præparatione foliorum pauxillum ita ſiccatorum, donec ſubſidant, & explicentur in aquam calidam immittitur: qua folia brevi tempore ſuam amaritudinem non ingratam liquori impertiunt, cui nonnulli aliquod ſacchari admiſcent.

2. Multa de virtute hujus potûs prædicantur: Nam dicitur omnibus cerebri, & nervoſi generis morbis conducere: item phthiſicis, ſtomachicis, & ſpleneticis auxilio eſſe. Porrò narrant, neminem eorum, qui eò aſſiduè utuntur in regionibus ubi naſcitur, lithiaſi, aut arthritide tentari. *Virtutes Theæ.*

Sed ſuſpicio eſt, folia optimæ notæ ad nos rarò, aut non omnino advehi: aut ſi advehantur, tempore, & longinquiſſimâ navigatione vileſcere. Itaque nonnullis *Pſeudothea è betonica, ſcorodoniâ & chamæpity* eodem modo infuſis non minoris efficaciæ videtur. *Pſeudothea.*

Seres, vel *Tartari orientales*, qui noſtrâ ætate *Sinarum* regnum ſubjugârunt, in lacte cum ſale folia *Theæ* infundunt, & potionem ita paratam maximè probant. *Legat. Belgica ad Sinenſium regem.* *Thea Tartarorum.*

3. Incolæ provinciæ *Carolinæ* dictæ, in *Floridâ*, è foliis cujuſdam arboris potum Theæ ſimilem & viribus ferè parem conficere dicuntur: & forſan eſt ipſiſſima *Thea*: *Carolina* enim & *China* licèt longiſſimè diſſitæ ſunt parallelæ. *Floridani*, in bellum prodituri veteri inſtituto, potionem quandam conſimilem in cœtu publico ſumebant: quam, qui vomitu rejecit, (quod multis accidebat) *Thea Carolinâ.*

bat, & ipſa *Thea Sinenſis* doſi nimiâ exhibita emetica fit,) imbellis habebatur, & inglorius domi manſit vel lixa vallum tulit; nec, donec eam ferre didicerat, miles potuit eſſe legitimus.

Thea Brabantica. Myrtus Anglica elæagnus Dioſcoridis pro Thea uſurpatur.

4. Frutex eſt pumilus, quibuſdam *Myrtus Brabantica*, aut *Anglica* dicta quod apud iſtas gentes ſatis frequenter provenit; *Cordo*, aliiſque viſus eſt *Theophraſti Elæagnus*. Cujus è foliis fruticis exiccatis nonnulli potionem *Theæ Sinenſium* ſimilem conficiunt.

Potus Lapparum juniperinus.

5. *Lappæ*, quibus natura pauca præter egeſtatem & patientiam conceſſit, potionem habent è *Baccis Juniperinis*; quam, ut *Caffe*, aut *Thea* calidam ſumunt, nec minus utilitatis, quàm alii ex iſtis percipiunt, nam *Baccæ Juniperinæ* reverâ plus præſtant, quàm Baccæ Coffæ arrogant.

Regionibus frigidiſſimis, in quibus nulla alia arbor valet ſubſtare, Juniperus eſt familiaris.

E galanga, ſem. Coriandri, Aniſi, Fæniculi. Foli: betonicæ, roſmarini, ſalviæ, aliiſve id genus, elegantes potiones, & ſalubres conficiuntur, quibus in varios ſcopos, ut *Coffa*, *Thea* calidè hauſtis nonnulli utuntur.

CAP. XVI.

Corollarium. De parergis quibuſdam in victu.

1. IN hominum victū irrepſerunt parerga quædā, Circæa quæ iniquâ conſuetudine multorum mentes adeò faſcinant, ut vitam ſine eis nullam, aut prorſus infelicem eſſe exiſtiment. Ejuſmodi ſunt

Betele

Betele, & *Arecca Indis*. *Bengia* & *Bosa* istis & *Ægyptiis*, *opium Turcis*, *Tabacum* illis omnibus, & *Europæis*, præter *Americæ* incolas unde duxit originem.

2. *Betele* est folium arboris folio mali aurantiæ non absimile, nisi quod angustius sit, & longius cum radiis, aut venulis. Seritur in *Indiæ* maritimis, in mediterraneis vix crescit. Cœlo non nisi temperato lætè frondet, ideoque in *Mozambiqua*, aut *Sofalâ* per calores non nascitur; neque in *Chinâ* per frigus. In *Moluccis* fructum lacerti caudam referentem profert, quem incolæ edunt, alibi est sterilis, folia autem in maximo pretio sunt, & usu: quæ *Indi* utriusque sexûs ore, ubicunque sunt, gerentes succum inde deglutiunt. Temperamento sunt calida, & sicca, etsi aliter censuit *Avicenna*. à quo vocantur *Tembul*, & frigida dicuntur, hæc quia ore detenta amarescunt, *Indi*, ut gratiùs sapiant, *Areccam*, & quædam alia admiscent. *Betele & Arecca.*

3. *Arecca*, quæ est *Arabum Fausel*, fructus est arboris *Palmæ cuciophoræ* foliis similis, quæ etiam maritimis crescit, fructus iste nuci cupressi ferè similis detracto cortice in tenues partes discinditur, è quibus cum *Betele*, & calce è conchis crematis fit confectio tam expetita, quàm quod maximè. Itaque in compitis ubique venalis prostat; nulli occurras cujuscunque sortis, qui non ore detineat: hâc ratione ajunt se ab animâ fætente, & dentium dolore, aut erosione cavere: itaque omnium dentes rubent, aut nigrescunt: quos albis præferunt; *Incolæ Cumanæ*, & *Muracapanæ* eodem modo, quo *Indi*, dentibus nigrorem succo herbæ, & calce concharum conciliare conantur; quippe magno dedecori est adultis dentes albescere. *Arecca.*

Linschot: *descript Cumanæ.*

Narrat *Stephanus Flacurtius* indigenas *Insulæ Sancti Laurentii*, displicente etiam candore dentium eisdem, aliquâ è tribus herbulis, quas *Amboutou*, *Lengon*, & *Zemalen* appellant nigrorem inducere. *Europæos* cum canibus, & simiis communes habere albos dentes dicunt: dictæ compositioni nonnunquam *Lycion*, qui succus est *Pyxacanthæ*, admiscetur. Ditiores item, quorum res ferunt, *Caphuram de Borneo*, *Calambam*, *Moscum*, aut *Ambram griseam*, addunt: quorum odore suum halitum commendant. Magno autem dedecori est, & sordidum, spiritum ducere non odoratum. Minùs igitur mireris impensas *Mizumæ regis Balagatæ*, qui fertur in hoc pharmacon singulis annis trigesies mille aureos *Lusitanicos* impendisse.

Betele optimum est plenè maturum, & rubescens, *Arecca* autem immatura acopon est insigne & anodynum nam stuporem non modicum inducit. Itaque ergo à nonnullis sumitur, non nisi immatura.

Coca. 4. Narrat *Johannes Fragosus in Histor. Arom. Indicor.* multos *Peruviæ* indigenas folium quoddam myrti simile, *Coca* dictum, ore totos dies detinere, cujus ope famem, aut dolorem parùm sentirent, & vires corporis confirmarentur. Scribit frutices qui hoc producunt, apud *Andes à Guamangâ* ad urbem *Platæ* seri, unde tota *Peru* divendebatur, & potissimum Metallariis ad fodinas *Potosias*, ubi si tantæ est efficaciæ miserias operarum potuisset alleviare.

Bangue. 5. *Bangue* apud *Indos* nascitur, & est *cannabis*, aut *cannabi* simillima: nisi quod librum habet tenuem

nuem nec in tenaces philuras divisibilem, & semina nostro cannabino minora; è quibus cum frondibus suæ herbæ intritis, [aromata, & moscum nonnunquam admiscent] fit confectio, quâ *Indi*, & *Persæ* cibi, & veneris appetentiam cient. Videtur igitur *Bangue* fuisse illa herba; quam ab *Indo* allatam, *Theophrastus in lib.* 9. *de Historia Plantarum* in libidine excitanda mira præstitisse scribit. Cum è contra *Cannabis* nostra atoca ingreditur, & libidinem inhibere creditur. Isti confectioni *Indi* suam *areccam* nondùm maturam sæpe immiscent, quo pacto vis stupefactiva multùm augetur, & ita parata in aliis *Asiæ* partibus magno venit. *Arabes* & *Ægyptii* è semine, & foliis *cannabinis* massam conficiunt; quâ delectantur, & quoties placet vires narcoticas augere, pro *arecca* quâ carent, *farinam loliaceam* substituunt; & hoc confectionis genus *Bosa* illis dicitur. *Bosa.* Qui in laboribus, et periculis versantur istis ferè utuntur, nam laboris aut doloris sensum minuunt. Qui sumunt, unâ horâ amplius sunt hilares, & festivi, postea morosi sunt, aut stupent, donec vim pharmaci edormiverint; Dormientibus autem *Morpheus* jucundissimè illudit: & rarò aliud, quàm regna, venerem, aut divitias somniant.

6. Barbari *Madagascaris incolæ* istiusmodi narcosi delectati; foliis Banguæ, seu *cannabis Indicæ* *A'etsmangue.* siccatis eodem modo, quo alii Tabaco utuntur, fumum ad stuporem sugentes, & jucundâ insaniâ inde comparatâ diu fruuntur, Hæc planta illis dicitur, *abetsmanga Flacurtius.*

7. *Scythæ Nomades*, qui frugum, & vitis defectu hydropotæ esse coguntur, ebrietate nolunt

omnino carere, itaque herbis quibusdam narcoticis in ignem missis mentis abalienationem acquirunt:& proinde saltant, et cantant, instar aliorum ebriorum.

Opium. 8. *Opium*, *Arabibus*, & *Indis Afron*, voce Græcâ depravatâ, succus est capitibus papaveris utriusvis extillans: sin vi exprimatur *meconium* potiùs dicendum; quod in pharmacopoliis pro altero sæpe supponitur, quo tamen est ignavius. Tria sunt opii genera notiora. Candidum, *Cairi* *Candidū.* imprimis venale, unde in *Asiam*, & *Africam* distrahitur, quod ni fallor, *Thebaicum est*, et *Tur-* *Flavum.* *cis Muslac*. Secundum genus, quod flavescit, mittit *Cambaja*, aut *Decan*. tertium ab *Adeno Ara-* *Nigrum.* *biæ* emporio ad nos devehitur, hoc nigrum est et durum. Ex his optimæ notæ est candidum, et multo pluris quam reliqua venit; secundas tenet flavescens; nigrum est vilissimum, et forsan non aliud, quàm meconium.

Omnibus ferè nota est vis hujus pharmaci, quàm sit narcotica, et si modum excesserit, lethalis: eo tamen *Asiani* australes, et *Afri Muhamedani* impensè delectantur, et nonnulli eorum consuetudine confirmati incredibilem ejus vim quotidie vorant. Drachma dimidia, imo Drachma tota unius diei vulgare est demensum: cùm *Europæi* non assueti pauca grana vix ferant. Narrat *Fragosus* supra citatus; *Indum* quendam, qui regi *Decan* ab Epistolis erat, uno die plusquam unciam opii sumpsisse: eundem tamen, licet stupidus, et somnolentus videretur, non unquàm officio defuisse, sed res commodè tractasse, tantum potuit consuetudo, ut unus ferret, quòd 50. inassuetos occideret.

Insti-

Inſtituitur autem hujuſmodi opiophagia, quòd dolore, metu, & ſolicitudine ademptis, creditur edentes in bellò intrepidos, in pace nullius rei anxios reddere. Difficile dictu, quâ ratione hoc pharmacum ſuas operationes exerit. Frigidum ſit, an calidum (quod controvertitur) nil refert at calidum videtur, quod ſulphureum eſt & inflammabile. Mihi videntur narcoticæ papaveris particulæ ejuſmodi eſſe figuræ, ut in ſpirituum animalium vias ſe facile inſinuent: & ibidem hærentes efferos eorum curſus ſufflaminent, ſi paucæ ſint: ſin nimiæ omnino obſtruant, viæ autem eis aſſuetæ tandem patent, nec ab eis facile afficiuntur. At obſervatur illos, qui huic opii uſui diu indulſerint, ſi aliquot dies ab ea deſtiterint in morbum immedicabilem brevi cadere: ſiquidem ſpiritus ſufflamine ſuo deſtituti ferociunt et in præceps ruunt, aut ſibi relicti difflantur. Qui verò in *Opiophagia* diu perſtant tardi fiunt, ſtupidi, & veneris impotentes. Itaque miſera eſt eorum ſors, à quibus tam medicè vivitur, quique nequeunt ſubſtare aut ſani eſſe, niſi quotidie inſaniant.

9. *Nicotiana* eſt planta veteribus perinde incognita, ac terra, unde primùm in reliquas orbis regiones delata eſt. Etſi fuerunt, quibus viſa eſt *onoſmys Æginetæ, aut ſymphyti* quoddam genus, videlicet *Pecton Dioſcoridis*, ſed quâ ratione adducti id, non conſtat. *Rimberto* ſenſerint *Dodonæo*, aliiſque peritis Botanicis *Hyoſcyami* ſpecies videtur ſed peregrina, & noſtro orbi ante *Americam* inventam planè incognita, quibus haud gravatè aſſentior: nam iſtum vi ſtupefactivâ, et caliculis, quibus ſemen continetur, aliquatenus refert. *De Tabaco.*

Variis

Variis nominibus insignitur hæc herba, singulis gentibus rei novæ nomen adaptantibus: nostris & vicinis fere dicitur *tabacum* à novæ *Hispaniæ* provinciâ, unde primum advehi cœpit: aut *Nicotiana* à *Nicotio* nobili *Gallo*, cujus operâ *Gallis* innotuit. Barbari *Peruvani petum* nominant, *Mexicani Picvelt*, *Virginiani uppowok*; et alii aliter nominant.

Tres hujus plantæ species sunt notæ, quarum majorem aliquot Herbarii marem, mediam fœminam nominârunt. Primo generi caulis crassus est, rectus, 4. aut quinque pedes altus: folia autem ampla, crassa, subpinguia, nonnihil hirsuta, et gummosa; grave olent, et acre sapiunt: flores sunt subrutili, et semina parva hyoscyami lutei seminibus paria. Nicotianæ fœminæ folia sunt minora, et minùs gummosa, caulis brevior, et flores minùs rubent: in hanc speciem prior degenerat, quoties terra, qua seritur, debitâ vacat culturâ.

Tertium genus prioribus adhuc in omnibus minus est: folium habet rotundius, nigrius, pingue et nonnihil hirsutum, sed succi plenum: flores pallent.

Nihil unquam produxit natura, cujus usus tantilli temporis spatio, tam latè sese extendit; nam paucis annis, postquam inter *Europæos* emicuerat, ab omnibus, ad quas à mercatoribus adiri potuit, gentibus receptus est: sed non omnibus idem utendi modus.

Nicolaus Monardes scribit *Americanos* pulvere tabaci siccati calci concharum immisto pilulas, aut trochiscos formare solitos, quibus ore detentis salivæ plurimum eliciunt, quâ deglutitâ

in laboribus, aut itinere diutiſſime perſtant, ſine virium diſpendio, idem ſcriptor *lib. 3. ſimplicium medicament.* tradit. Alios in novâ *Hiſpaniâ* arundines quodam gummi & ſucco peti oblitas accendere & utrinque fumum in os per tubulum haurire.

Virginiæ incolæ ante *Anglorum* adventum ſibi tubulos, quibus tabaci fumum ſugerent, è cretâ ſingulari fecerant; quos *Angli* in patriam redeuntes imitati ſunt: & ex illo tempore in univerſum orbem invaluit iſtiuſmodi fumifactio. Sed *Mauri*, *Turcæ*, aliique quibus calor fumi minùs placet, longioribus utuntur tubis, ligneis aut arundinaceis, cretaceo capiti adaptatis, aut per aquam eum hauriunt. Complures, & *imprimis Hiberni* folia tabaci ſiccati, in pulverem redacta tenuem, naribus ſufflantes pro pharmaco familiari habent. Alii eadem folia maſticantes ſuccum cum ſalivâ deglutiunt.

Plurima de nicotianæ virtutibus prædicantur, imo de effectibus ejus oppoſitè contrariis. Dicitur enim algentes calfacere, & æſtuantes refrigerare; ſomnum obrepentem arcere, & eundem pervigilantibus inducere; ſitim etiam, & famem multis levat, aliis appetentiam excitat; laſſitudines certè tollit, & pleriſque eſt unicum nepenthes: quæ omnia, non ſpirituum materiam ſubminiſtrando, ſed narcôſi ſuâ ſenſus obtundendo præſtat.

Nemo ferè ejus uſu initiatur ſine gravibus cerebri aut nervoſi generis ab eo læſi ſymptomatis: primo enim tentamine ſcotomiâ, aut vertigine afficiuntur, aut quaſi ebrii delirant. At moleſtiis iſtius tyrocinii ſuperatis, qui ei aſſueverunt nil

niſi

nisi jucundum quendam spirituum motum indè sentiunt: qui compluribus adeò placet, ut, quasi lotum gustassent, licèt ipsi velint, ab ejus usu avelli nequeant. Nec reverâ tutum est ejus usum præproperè abrnmpere; nam diuturna consuetudo vim naturæ obtinet, cui nemo injuriam impune infert.

Nicotiana à quibusdam omnium morborum panacea statuitur; sed est frequentioris usûs in cauponis, quàm *Pharmacopoliis*; ubi compotationibus inservit: quas potantium fauces calfaciendo egregiè promovet.

F I N I S.



